Herrn Etatsrath Schumacher
verehrungsvoll
der Vf.

RUDOLFI HENRICI KLAUSEN
PHILOSOPHIAE DOCTORIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA
PROFESSORIS PUBLICI

DE CARMINE
FRATRUM ARVALIUM
LIBER

AD PATREM OPTIMUM VENERABILEM DILECTISSIMUM
THEOPHILUM ERNESTUM KLAUSEN
GYMNASII ACADEMICI ALTONANI PROFESSOREM RECTOREM
DANEBROGICI ORDINIS EQUITEM
SOCIETATUM KILONIENSIUM QUAE HOLSATIAE ANTIQUITATIS ET HISTORIAE
CURAM SUSCEPERUNT SOCIUM HAFNIENSI QUAE AQUILONARIBUS ANTIQUITATIBUS
INVESTIGANDIS CONSULIT ASCRIPTUM
SOLLEMNIA
EXPLETI PER QUINQUAGINTA ANNOS MUNERIS
DIE XXII MENSIS MAII MDCCCXXXVI
CELEBRANTEM.

BONNAE
IMPENSIS LIBRARIORUM
KÖNIG ET VAN BORCHAREN
MDCCCXXXVI.

Publice Te, optime pater, allocuturus, ut eo die, quem utinam felicem faustum fortunatumque adducat nobis deus ter optimus maximus, ad te perferantur hae litterae, neque a casta, quam filii erga dilectissimum parentem esse decet, verecundia, neque a sancta, quae tui est animi, religione mutuam, qua tu me diligis, qua ego te veneror, pietatem tantopere libero, ut palam suavissima, quibus tu vitae, animo bonisque meis prospexisti, beneficia, palam candidum, quo nunc etiam me prosequeris, amorem proferam et extollam. nec de munere quidem, quod sub iisdem auspiciis in eadem urbe cum eodem studio per tot annos gessisti, dicendum est mihi: neque enim deerunt inter tam varios tot annorum discipulos, qui eas quae tuae sunt in docendo virtutes clarius quidem me minime experti sint, sed profiteantur disertius. multorum annorum illi testes, paucorum mihi dulcissimorum ego, qui post peractum proximum lustrum dimidiam vitae partem procul a tuis vixero Laribus. si vero ea, quae sunt familiarum numina, magis, quam in paterna pietate, in nulla re vigent, potentiores mea custodes domum scio habituram

esse nullam. quippe tu, in Germanorum Danorumque confiniis natus, Holsatorum, inter quos tot decora tuae mentis, tui laboris posuisti monumenta, populo, terrae, principi omni animo deditus, vicinae cognataeque Danorum genti sanctissimo pietatis vinculo obstrictus, comprobavisti, tu auctoritate et ope tua sanxisti, quod filius, post acerbissimam familiae iacturam a te dimissus, quem sperabas fore ut tibi educavisses domus tuae firmam columnam ut unigenam gnatum patri, in alius iussa iurarem regis, in aliam, in qua utinam perennis gentis nostrae gloria versetur, civitatem Lares, quos tua comitabatur caritas, transferrem.

Caritatis huius numini offero, quibus redimiri solebant Lares, serta, non e floribus sed e versibus versuumque fragmentis composita. quod enim Minerva, non Marte, patrona tuis sollemnibus in litteratorum hominum circum deducerem qualecunque spectaculum, ex iis rebus, in quibus tuis mea responderent studiis, petendum esse visum est. ab iis vero, qui de Latinis scripserunt poetis, quorum manu versandorum et diligendorum auctor tu mihi fuisti interpres accuratus et elegans, Horatio, Virgilio, Propertio, Ovidio, id nondum satis diligenter pertractatum nedum exploratum existimavi, quaenam, cum multa mutuati essent a Graecis, Romanorum non mores solum et instituta sed ipsam sentiendi, cogitandi, res divinas humanasque considerandi rationem referrent.

cuius studii ut exemplum proponerem, regressus sum ad explicandum quod Latinae linguae antiquissimum exstat carmen. id cum nonnisi per explorata accurate eorum, in quibus cantabatur, sollemnium instituta intelligi posset, et opportunum erat et necessarium comparari cum priscis illis religionibus omnes, ex quibus cognosci posset Romana sentiendi ratio, scriptores, imprimis, quorum ars domestico hoc colore prae omnibus eget, poetas. et videor mihi, quanquam plurima adhuc latent, reperisse nonnulla quae ex intimo illo sensu orta ita inhaerebant poetarum animis, ut attingerentur potius, quam exhiberentur.

Absoluto demum opere ad nos perlatus est liber, quem de divinis Romanorum rebus nuperrime scripsit eruditus et ad cogitandum et dicendum copiosus vir Hartungius. in hoc cum plura, quae et ipse repereram meisque argumentis demonstraveram, invenirem, neque id agere, ut quaecquae nova ab eo edoctus sum in mei operis usum converterem, neque id, ut quae minus recte exhibita existimavi refellerem praeter pauca, quae in notis margini ascriptis tetigi, sinebat tempus. nec vero iussit res ipsa, cum veterum testimoniis, quae me latuissent, in libro non repertis per se aut staret aut caderet quod ego exposui: de Hartungii vero opere si quis forte erit, qui meum non contemnat iudicium, is ad Halenses, in quibus hoc prolaturus

sum, mihi relegandus sit Ephemerides. duas tamen habeo res, quas hoc loco moneam. alteram eam, quod arvalium fratrum, de quibus nos egimus, instituta non ea, qua in aliis usus est, investigavit doctus hicce vir diligentia. alteram, quod unum, qui in nulla omnino deest religione doctrinave sacra, cerimoniarum fabularumque fontem, cum, ex quo manaverunt omnes Romanorum de Semonibus opiniones, si non neglectum tamen obrutum ab eo cernimus. quod cum factum sit, Marci Terentii Varronis, qui ea, quae de Semonibus ad nos ex antiquitate perlata sunt, omnia tradidit, auctoritati nimia obtrectavit invidia. penitus enim perturbatas post secundum Punicum bellum Romanorum religiones censuit pariter ac plures nostrae aetatis docti viri. quae de hac re ineunte tertio libelli capite dixi, non repetam: pauca sunt, quae addam. simillimas sibi fuisse puto universas, quas de divinis rebus conceperant Romani et Graeci, opiniones: diversam eam, qua quae in universis inesse opinarentur divinis numinibus, inter singulos deos distribuerint, rationem. quam satis magnam habeo diversitatem. sed non tantam, ut, postquam melius cognoverant Graecas opiniones Romani, interirent domesticae: imo permultas clarius perceptas et excultas esse existimaverim. praeiudicatae enim illae de iis, quae Romanum civem, quae rem publicam, quae pueros, quae matronas decerent, sententiae, quamvis elegantibus Graecorum commentis

circumfusae et obrutae, per omne tamen Romani nominis aevum denuo surgebant et in eorum, quorum eximia erant ingenia, mentibus praevalebant. qui tandem factum est, ut legum, quas liberae rei publicae temporibus tulerant Quirites, interiorem rationem optime et intelligerent et interpretarentur, qui sub imperatoribus vivebant, iuris consulti, si inter antiquum et recentiorem sentiendi morem nihil erat commune? idem, qui legum, erat sacrorum, religionum, fabularum fons: qui iusserat illas populus, sanxerat, observaverat, finxerat illas magis quidem integrae sacris a recipiendis peregrinis opinionibus manserant leges. sed ne poterant quidem manere, si aliter omnino sentiebant, qui postea viverent. neque magis haerebant insitae principales de iure sententiae, quam superstitiones. tum Cassio tum Bruto eo, quo summa Romanorum cum Graecis litteris erat familiaritas, aevo mortem portendit, quem licet Graeco Graeci scriptores appellent nomine, ex ipsa domestica Romanorum superstitione repetendum esse nemo negat, malus genius. superstitiose et accurate sub imperatoribus observatas esse vetustas cerimonias, docent ipsae arvalium fratrum tabulae. singulorum numinum si quae prorsus evanuerant sacra, erant talia, qualia, etiamsi nullae domesticis moribus inferuntur turbae, in omnibus populis non interire non possunt. instituuntur enim novae cerimoniae propterea, quod animadvertere sibi

videntur homines neglectam adhuc divinam vim quampiam. monent de hac eae, quas cur vel peius vel melius exspectatione rem gesserint causas existimant. quae causae si permanent, permanent cerimoniae, antiquatae plerumque, si defecerunt illae, nonnullae tamen diutius servatae. in repetendis his quod falsi sunt docti divinarum rerum apud Romanos interpretes, non mirum: saepius tamen in his quoque vera quam falsa perceperunt, quoniam exstabat tradita harum rerum apud pontifices scientia. Graecorum quae recipiebantur religiones et sacra pleraque optime cum domesticis conveniebant: maiores certe quam haec turbas inferebant eae, quae a philosophis petebantur, divinarum rerum interpretationes. quibuscum quoniam minime conciliari potest poesis: meliores plerumque testes poetae. quod vero e Latio perpauci oriundi erant Latini sermonis poetae: Etruscis exceptis non exstabat inter ullos Italiae populos diversitas tanta, ut, ubi de ea, qua intelliguntur proprii gentis mores, facultate quaeritur, computanda sit.

Testimoniis proferendis non est hic locus, neque quantum subeat periculum, qui non prolatis etsi bene perpensis iis de tali re verba faciat, sentit quisquam me ipso gravius: quamquam eum, qui curae aliquid his rebus navaverit, sive mecum facit sive non, certe me non temere dixisse iudicaturum esse spero. fine vero his imposito id agam, quod patitur locus, breviter et

ita ut nonnisi ea moneam quae sunt gravissima neque ab iis qui nuper optime huic poetae consuluerunt, Weicherto, Kirchnero, Passowio exposita, ostendam in quibus ad domesticas religiones reversus sit, qui plurima de Graecis mutuatus est, qui ne reversus quidem Graeca reliquit sed secum tulit et cum domesticis conciliavit, perfectissimus inter Italos lyricus poeta Horatius Flaccus.

Ad imitatores, servum pecus, immerito reiectum esse Horatium, monitum est a multis. dubitant quidem alii: qui in sermonibus ipsum audire sibi videantur, in lyricis carminibus poetas Lesbios. facile demonstratur, leges quidem, ad quas composuit carmina, a Graecis sumsisse poetam, sententias vero tantummodo eas, quas tam egregie verbis concepisse ei viderentur, ut sponte cum ipsis in mentem venirent Graeca verba. scilicet penitus abhorrebant omnes egregii antiquitatis poetae a temerario illo novandi studio, quo prave dicere non veretur scriptor, modo sua dicat. ab aliis quae optime dicta erant, in suum inde ab ipso Homero poetae vertebant usum, neque quidquam mutabant, nisi quod imperabat vel res vel numerus. solet Horatius eorum, quae in intimis Romanorum rebus versantur, quae mutuari vel in Latinam linguam e Graeca transferre minime potuit, carminum exordium facere a celebri quapiam Alcaei, Sapphus, interdum Pindari sententia, illico vero inde transire ad ea, quae

Italiae, quae Latio, quae Romae peculiaria sunt. cuius moris certissimum testimonium est in tricesimo septimo primi libri carmine, ubi praeter ipsum exordium, quo Alcaei de mortuo Myrsilo exsultatio expressa est, vix quidquam habes, cuius modo exemplum quaeri possit in Graeco carmine, quia in Cleopatrae rebus novissimis omnia versantur. decantabantur enim elegantissimae et maxime ingeniosae, quas versibus incluserant Graeci, sententiae apud ipsos non magis quam apud eius aetatis Romanos homines. has litteras qui negligebat, egregii nihil in artibus perficere poterat: certe non eo tempore: cum ne ipse quidem duobus saeculis ante per omnem vitam eas aspernari potuisset acerrimus domesticorum morum patronus, Porcius Cato. sed ea erat summa Horatii virtus, quod cum ad tractandas et diligendas eas omni animo ferretur, eleganti, qui egregiorum proprius est poetarum, sensu quaequae petiverat a Graecis tractavit ita ut verteret ea in domestica Romanorumque moribus et proprio popularium sensui commoda faceret. simillimum est quod in transferendis Graecis fabulis, Graecis numinibus optime perfecit, cuius ingenium in earum, in quibus posita est poetica virtus, rerum permultis longe praestat Horatio, Goethius. Romanum poetam in metricis rebus optime hoc egisse ignorat nemo, quippe qui Romanam in Alcaei, Sapphus, Asclepiadis numeros introduxerit gra-

vitatem et severitatem. missa fecit ea quae minus apta essent Romanis, ampliora Pindari, Simonidis, Bacchylidis, dithyramborum metra: quia non libere, non ita, ut propriam servaret naturam, in iis versabatur Latinus sermo. sua via idem adeptum erat divinum Catulli ingenium, neque tamen in omnibus, quae scriberet. et leviores, licet dulcissimi, sunt, in quibus eximius erat Veronensis poeta, carminum lusus. quam in metris, eandem in sententiis, eandem in religionibus transferendis viam secutus est Horatius. qui melius cognitos haud dubie habebat Graecorum deos, quam Romanorum, quia illi magis quam hi carminibus tractati. neque ipse, ut Ovidius, ut Propertius, ad perscrutanda sacra Romanorum instituta studium contulit. inhaerent tamen in ipso pariter atque in illis domesticae Romanorum opiniones nonnullae, quibus neglectis male intelliguntur eius de his rebus sententiae.

Epicureorum et Academicorum disciplina Athenis adolescens imbutus viliores, ut fit, habebat traditas a maioribus de diis opiniones, lusus existimabat, quas de iisdem rebus apud Graecos inveniebat poetas, et sibi suaeque aetatis hominibus gratulabatur pariter ac Lucretius, quod amplius humana ante oculos foede non vita iaceret in terris oppressa gravi sub religione. mox ab insanienti, quam sibi exprobrat, sapientia ad agnoscenda quae liberum de rebus humanis imperium exercerent

numina reversus est. scilicet reperiebat, cum accuratius Graecorum Romanorumque de diis opiniones consideraret, sancitas in his esse suis moribus, propriis sui animi laudibus, suae arti mirum in modum commodas leges. et iisdem laudibus, eadem arte, quamvis non ad poesin sed ad civiles res adhibita superatum nunc videbat terrarum orbem ab uno homine. id enim negare non poterit vel acerbissimus Octaviani insectator, excelluisse perfidum hunc iuvenem elegantiae arte, qua quidquid tractaret commode componeret. cum liber ab Octaviani vitiis esset candidus Horatii animus, eam, qua eximius erat in poesi, laudem non in Apollinari impetu, non in fervore, quo insignis est Catullus, sed in facundia et elegantia positam fuisse patet. quae virtutes sunt Mercuriales. cum in Apollinem aliosque deos plura composuerit Horatius carmina, nullum ei tam feliciter successit, quam ea, quibus Mercurium celebravit. Mercurialem se ipsum Horatius appellat virum, cum eximiam deorum in discrimine tutelam sibi debitam vindicat. quippe quae forte fortuna accidunt, a Mercurio repetuntur: cui favet Mercurius eum infelici casu violari nefas. inde ea, qua lapsam abominatur arborem, poetae, quae multis iustum migrare modum visa est, indignatio: inde fiducia, qua cum puerum in silva dormientem fronde tectum a viperis et ursis tutum reddiderint palumbes, cum Philippis se Mercurius, a lapsa

arbore Faunus, a naufragio marina numina servaverint, Camenarum favore sanctum se summa ultimarum terrarum pericula incolumem aditurum, neque oblivioni nomen concessurum esse pollicetur. Mercuriale, non Apollinare, non Martium, etiam in Octaviano Caesare inest numen: Mercurius mutata iuvenem figura in terris imitatur patiens vocari Caesaris ultor, cui expiandi domestici Romanorum sceleris partes dederit Iupiter. fortunati enim nomine praedicandus nemo inter homines meliore iure erat quam Augustus, qui Veliternus ex ignobili genere oriundus legitimus Iuliae gentis, quae a primo Albae Longae rege originem duceret, heres factus est, qui neque probus, neque fortis, neque sapiens, neque iustus homo versatili, quod Mercurio acceptum referendum erat, ingenio id adeptus est, ut a se suaque auctoritate non amplius divelli posset, cui postquam subiectum erat quidquid adhuc magnum inter homines exstiterat, melius prospicere frustra conatus erat magnus vir Iulius Caesar, fortuna Romana.

Haec tempora, has vicissitudines expertus, qui Brutum dilexerat, qui in libera omnem collocaverat caritatem re publica, qui postea etiam atrocem Catonis animum, nobile Catonis letum praedicare non verebatur, Horatius infelicissimam suam ex ipsa Augusti felicitate cognovit aetatem, vitiosiore vitiosiorem progeniem progenie imperiique ruinam praesagiebat. ita eam concepit

mentem, qua magni nihil a mortalibus exspectari, qua nihil amplius eo quod satis esset desiderari iussit, qua denique nihil, nisi ut cohiberentur, componerentur, paulumque corrigerentur, qui emendari non poterant, mores, publice agendum et propterea Augusti, qui hoc ageret, laudes extollendas esse censuit: singulis vero nihil altius expetendum, quam ut liceret in diem dixisse vixi.

Nec vero obliviscendum, ut intelligantur quas de composita per Augustum re publica foverit Horatius sententias, moratum fuisse poetam ita ut in iis, quibus severiora Romanorum instituta servabantur, saeculis sibi magis commodam degere non potuisset vitam. Italum omnino potius quam Romanum se ferebat. admiratus est urbem, non dilexit. originem etiam familiae ab Italis repetendam, in Italico bello libertate privatum esse poetae patrem probabilis est Niebuhrii coniectura: certe acerba patri manserat eius belli memoria. ferocitatem Romae, quam sensit omnis Italia, Horatio disertius nemo exhibuit. quin in primo, quod sub Perusini belli exordium scripsit, lyrico carmine, sexto in Epodon libro, tristissimam profitetur de Italiae salute desperationem, quia, quam nemo evertere potuerit hostis, ipsa se suamque terram, quam relinquere abominari exsecrari iubet pios pii vatis comites, per scelestas domesticas pugnas perditura sit Roma, condita, quod monet carmine sub Actiaci belli initium scripto, non sine fra-

ternae necis scelere. sed quam atrocem ait esse Italiae dominam, eandem, cum eius simillimos omnium Italorum mores, cum impigrum Appulum, violentam Lucaniam, acrem Marsum praedicat, iure suo sociis praeesse aeternam agnoscit urbem. Italo robore imperium sibi paravit Roma, cuius porrecta maiestas ad ortum solis ab Hesperio cubili. Hesperiae enim, quam dixerant Graeci, divino fato, quod post eversam Troiam elocuta esset Iuno, potentiam, qua omnem mundi terminum armis tangeret, addictam sibi persuaserat Horatius et, cum arctissimam inter Graecorum et Romanorum mores et artes familiaritatem statueret et magis magisque ipse utrasque iungeret, Asiaticos mores summo abominatus est odio: Parthos, quos, ut de clarissimis Graecorum bellis moneret eorumque partes ad suos transferret populares, Medos dicere solet, ut sempiternos Romanorum hostes aspernatus. propterea ex quo a barbara Aegypti regina disiunctum iri Antonium non amplius sperari poterat, omnem in solo Octaviano spem posuit, de Cleopatrae nece Alcaei celeberrima exsultatione triumphavit, divino dignum honore extulit Augustum, postquam Parthos hic debellaverat ultus illatam Crassi clade Romanis ignominiam.

In concedendo hoc, quo Augustum celebravit, divino honore qui turpem reperiat adulationem, eum et veram rei publicae in eo tempore conditionem et vete-

rum in agnoscenda divina auctoritate morem et ipsum quod nunquam exuit Horatius libertatis studium prorsus ignorare satis demonstraverunt eximii inter nos viri. Iove inferiorem collocari Augustum nemo non videt, sed consentibus Iovis, quippe quos ad fabulas relegavisset poeta, eum si non antepositum tamen cum iis aequatum esse sunt qui censuerint. nullum huius temeritatis testimonium: imo egregie cum domesticis Romanorum opinionibus in hac re concinit Horatius. tuentur, si fides huic doctrinae, humanas res contra superbum superorum imperium medioxuma numina Semones. quorum erant qui priscis temporibus ipsi inter homines versati essent, Vertumnus, Sancus, Quirinus. qui novam in sese divinam vim inesse probaverat, iure suo ad hos referebatur. ferocitatis numine potentem urbem fecerat Romulus, calliditatis et elegantiae artibus terrarum dominae pacem restituerat Augustus, qui perfecerat id, quod a Semonibus precabantur arvales fratres, ut componeretur domestici Martis furor, ut clauderetur Ianus Quirinus. uterque inter publicos Romae Lares eximius: Laribus Italos refert Horatius miscere Augusti numen, uti Graecia Castoris et magni memor fuerit Herculis. Hercules heros pariter ac deus. qui in terris Romulus, in divis erat Quirinus. cum Romulo vivus Augustus, divus cum Quirino erat aequandus. ille Romanorum ferocitatem: hic elegantem, quam a Graecis hi accepe-

rant, calliditatem addidit deorum ordinibus. restituta pace cum expiavisset princeps fraternae necis scelus, quod antiquioribus saeculis seditionum inter patricios et plebeios exortarum calamitates, recentioribus civilium bellorum flagitia, si fides poetis, procreaverat, iure suo post mortem in Saliari carmine inter Semones celebrabatur, iure suo vivus Laribus additus maturo colebatur honore, quo Romani, Horatio iudice in hac re sapientes et iusti, iurandas per Augusti nomen posuerunt aras, nil oriturum alias nil ortum tale fatentes. hominum propriae sunt Semonum virtutes, sed a diis tamen repetitae. a Marte ferocitas Quirini, Augusti calliditas a Mercurio. versatilis quidem et elegans aeque ac principis ingenium Semo Vertumnus, sed non versatili magis quam callido, quin perfido animo omnes superabat Octavianus, neque ullum inter Graeca et Romana exstabat numen, quod Mercurio aptius responderet eius moribus. a Graecis magis quam a Romanis talis colebatur Mercurius. optime igitur usus Horatius iis, quas cum Romanis communicaverant Graecorum carmina, Graecis opinionibus, et ita quidem, ut neque everterent neque perturbarent domesticas, sed legitimum iis adderent supplementum. novum cumque Mercurialem inter homines versari percepit Horatius Larem nunc, mox Semonem, qui sicuti eas, quibus coercerentur mortales, divinas leges vi superavisset Semo Sancus, sicuti

in humanum usum, quaequae ferret terra, versatili arte vertisset Vertumnus, eleganti, qua excelleret, calliditate perfecisset, ut superaretur et vinciretur immissus divino fato Romanis Mars domesticus, ut condi liceret in ipso Romano foro aedem proavi dei post composita civilia bella, post stabilitam imperatoriam Augusti auctoritatem non amplius periculosi, qui victricia Romanorum Parthis et Cantabris intulisset arma, Martis Bisultoris.

Avertat a nobis, sicut adhuc modo avertit modo amovit, summum numen haec, quibus laudanda, modo utilitatem afferrent, essent prava, fractae libertatis tempora. Tu vero ea, quam per felicia et infelicia tempora servavisti, qua laudandis quae laudanda, celebrandis quae celebranda sunt, gaudere soles, pia et candida mente studiis nostris, quae, quemcunque ferunt fructum, bonis certe artibus sunt navata, adsis, optime pater. haec a te precatus addo aliud, scriptum ipso, quem acceptissimo caritatis testimonio tu fecisti laetum, quem bona bono omine in bonum diem incidere iussit fortuna, natali nostro. precor a te, quod utinam benevole exaudiat deus, quod non in hos solum festos dies sed in felices multos precamur annos: cura, ut valeas: nos, qui cordi sumus tibi, valemus.

Dabam Bonnae die dominica Iubilate MDCCCXXXVI.

DE CARMINE
FRATRUM ARVALIUM.

SOLLEMNIA.

Fratres arvales satis constat fuisse collegium [1]) sacerdotum, qui sacra publica facerent propterea ut fruges ferrent arva [2]). Neque dubitari potest, quin recte a fraternitate vocabulum repetiverint docti apud Romanos viri, monentes de usu vocis fratriae apud Graecos: cui argumento videtur addendum, collegae nomina et fratris arvalis in tabulis, in quibus scripta exstant collegii acta, commutari inter se persaepe. Romanis certe vulgatam fuisse hanc opinionem cognoscitur e fabula, quam ex pontificalibus Rutilii Gemini libris petitam refert Fulgentius [3]), principes huius collegii sacerdotes fuisse Accae Larentiae filios duodecim, qui, cum pro arvis sacrificaverit mater, praecesserint sacrificium.

1) Marini Atti e Monumenti degli Arvali Tab. VIII, 1, 4, 12, cett.: „conlegi fratrum arvalium." Cf. T. XI, XIII, XV rell. Et Gell. N. A. VI, 7.

2) Varro L. L. V, 85. (Müller): „Fr. Arv. dicti sunt, qui s. p. faciunt propterea ut fr. ferant arva, a ferendo et arvis fratres arvales dicti. Sunt qui a fratria dixerunt; fràtria est Graecum vocabulum partis hominum, ut Neapoli etiam nunc."

3) Fulgent. Planc Expos. Serm. Ant. p. 560. (ed. Lips.). Cf. not. 15.

Praeerat collegio magister annuus, cui ineundum erat munus tempore Saturnalium XVI. Kal. Ian. 4): designatus a collegis plerumque XIV. Kal. Iunias. Qui convocavit fratres 5), retulit ad collegium 6), vota pro collegio in proximum annum nuncupavit et quae superioris anni magister voverat persolvit 7), immolavit denique boves 8), porculas 9), suovetaurilia 10) pro collegio vel, si forte impeditus erat, designavit eum, qui pro magistro fungeretur his muneribus 11). Cum magistro nominabatur flamen, cui pro collegio immolanda erat agna opima 12). Uterque ture et vino facere solebat 13). Ministri collegii memorantur aedituus, scriba, calatores, publici. Manebat sacerdotium per vitam: in locum defuncti novum collegam magister cooptavit et ad sacra vocavit 14), sicut in vicem filii Larentiae successisse dicebatur ipse Romulus 15), quem ut imita-

---

4) Marini T. XXXII. Col. 2. fin.: „Petronium Priscum ex Saturnalibus primis in Saturnalia secunda magistrum fecerunt et Fl. Sulpicianum flaminem nominaverunt." Cf. T. XXXVI.: „... *secunda mag. annnum fecerunt.*" De dictione cf. Marini Obss. p. 275. Magistri praeerant Saliis, haruspicibus, quindecimviris, aliis.

5) T. IV, XXII.

6) T. I, II.

7) T. V, XXIII.

8) T. XI, XIV, XV, XVI, aliis.

9) T. XXVI, XXXII.

10) T. XXXII.

11) T. V, VIII, aliis. Cf. Marini Obss. p. 54.

12) T. XXVII, XXXIV.

13) T. XXXIII, aliis.

14) T. I, II aliis.

15) Fulgent. l. c.: „cum ex illis nnus esset mortuus, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti se succedere pollicetur."

rentur ipsi in collegium recipi solebant imperatores Augusti [16]. Dii, quibus sacra fecerint fratres arvales, in tabulis memorantur Iupiter [17], Iuno [18], Minerva [19], Providentia [20], Felicitas publica, Salus publica [21], Ianus, Mars, Vesta, virgines divae, famulae divae, mater Larum, Lares, Fons, Flora, alia [22]. Prae omnibus dea Dia.

Munera, quibus fungendum erat collegio, recensentur facienda tum vota pro salute Caesarum reique publicae, velut in restitutione et dedicatione Capitolii [23], tum piacula, cum arbor in luco deae Diae vetustate ceciderit [24], vel cum ferrum, quo scriberentur et scalperentur sacerdotum acta et nomina in tabulis parieti affixis, in aedem illatum vel de ea elatum sit [25],

---

Plin. H. N. XVIII, 2: „Arvorum sacerdotes Romulus in primis instituit seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Larentia nutrice sua genitos, spicea corona, quae vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis pro religiosissimo insigni data, quae prima apud Romanos fuit corona: honosque is nonnisi vita finitur et exules etiam captosque comitatur. .... Ac ne degustabant quidem novas fruges, antequam sacerdotes primitias libassent." Cf. Gell. N. A. VI, 7.

16) Marini Obss. p. 153.

17) Iovi Optimo Maximo bovem marem, T. IV, V, VIII, IX, XI, XIII, XIV, XV, XVI, XXIII, al.

18) Iunoni vaccam, T. VIII, IX, XIII, XIV, XV, XVI, XXIII, al.

19) Minervae vaccam, T. VIII, IX, X, XV, XVI, XXIII, al.

20) Providentiae vaccam T. X.

21) T. XV, XXIII.

22) T. XXXII, XLI, al.

23) T. XXIII.

24) T. I, XXIII.: „porcam et agnam opimam." Cf. XXIV.

25) T. XXIII: „Kal. Mais in luco deae Diae piaculum factum per

vel cum cruendae arbores sive de coelo tactae sive fano innatae. Maximum vero eorum est officium in festis deae Diae diebus celebratis medio vel exeunte mense Maio. Quos sollemnem in modum indixerunt fratres arvales in ea, quae sub divo crat, aedis Concordiae parte, ineunte mense Ianuario, modo III. Non. Ian. [26]), modo VII. [27]) modo VI. [28]) modo pridie Id. Ian. [29]). Magister, ad quem adstabant collegae, manibus lautis, velato capite, orientem versus indixit sacrificium deae Diae: Quod bonum faustum felix fortunatum salutare-

---

calatorem et publicos eius sacerdotii ob ferrum inlatum in aedem scriptnrae causa, porcam et agnam opimam. Isdem coss. III. Idus Maias in luco deae Diae p. f. p. c. e. p. e. s. ob ferrum de aede elatum p. e. a. opimam." Idem utrumque T. XXIV. col. 2.: XLI, b. fin. Diversum est, si quid video, inferri ferrum ab importando, ita quidem, ut hoc nihil nisi introitum, illud usum significet. Similis est vocabuli vis in inferendo gradum, pedem, manus, arma. Ferri usus vim infert parieti sacro, quae quod piaculo procuratur non est mirum. Impositum usui finem declarat elatum non modo ex aede sed de aede ferrum. Plenius propterea hoc dicitur: „ob ferri elationem scripturae et scalpturae operis perfecti" vel peracti, T. XXXII, col. 3. XLII, XLIII. Altero piaculo procuratur inferenda fano turba, altero expiatur illata. Artificiosius egisse mihi videntur, qui contractum ferro per lucum, cuius arboribus inimicum esset, portato piaculum arbitrati sunt, Gesnerus, Guascus, Marinius (Obss. p. 218.): cum nihil omnino moneatur de luco. Eadem ratione, cum eruendae essent modo arbores de coelo tactae modo ficus aedi innata, binis fratres arvales immolaverunt solitaurilibus, alteris inchoandi operis, alteris operis perfecti causa, T. XLIII et T. XXXII, col. 1 et 2. Procuratur etiam usus ferri aris et arboribus illati et expiatur elatum T. XLIII.

26) T. XXVIII.
27) T. XXIV.
28) T. XXII.
29) T. XVII, b.

que sit populo Romano Quiritibus fratribusque arvalibus mihique: sacrificium deae Diae hoc anno erit ante diem XVI. Kal. Iun. Romae, ante diem XIV. K. Iun. in luco et domi, ante diem XIII. K. Iun. consummabitur domi [30]. Etenim non quotannis celebrabantur hi dies.

Ipsum vero sollemne quonam modo actum sit, plene et accurate descriptum legimus in ea, qua carmen vetustissimum nobis servatum est, tabula [31], scripta primo anno imperantis Elagabali, quem tertio die collegam a fratribus cooptatum videmus sub nomine M. Aurelii Antonini Pii Felicis (218 p. Chr.).

Primi diei sollemnia versantur in libandis frugum primitiis. *Prima luce ture et vino magister fecit frugesque aridas viridesque et panes laureatos* gustavit [32] *cum collegis ornatis praetexta*, qua utebantur nonnisi in ipso sacrificio sacerdotes, atque deae Diae simulacrum unxit. Nempe cum propterea ageretur sacrum ut prospere maturescerent virides, sicuti superiore anno maturavissent dii aridas [33]: in sacrum usum suo munere utrasque, et ipsas, et in eam, qua humano inservire

---

30) T. XXIV et XXXII. Eadem T. XVIII, XXVIII. Alibi in VI, IV, III. Kal. Iun. T. XVII, b; XXII, XXIII, XLI, a.

31) T. XLI, a. Orell. Inscr. Nr. 2270. cf. 5054. Minime vero ab hac disiungi potest T. XLI, b: in qua descripti iidem festi dies continuantur. Itaque utramque huic libello addidi.

32) *Contigerunt* dictum in tabulis eo, qui saepius apud poetas invenitur, usu. Haec est ea, de qua monet Plinius, libatio: cf. not. 15. Virg. Georg. I, 347. Ceterum quaequae in hoc capite litteris distinxi, ad verbum sumta sunt ex inscriptione T. XLI.

33) Idem fiebat in pomis: Plin. H. N. XXVIII, 2: „ad primitias pomorum haec vetera esse dicimus, alia nova optamus." Cf. Marini Obss. p. 516.

solent, formam redactas [34]), vertebant qui deorum fungerentur vice sacerdotes. Post meridiem denuo convenerunt, non praetextis sed *coenatoriis vestibus albis* induti, et *epulati sunt, discumbentes ipsi in tricliniis,* cum *in sellis* sederent qui cum iis coenabant *pueri ingenui patrimi et matrimi senatorum filii,* comites eorum in omni sollemni quasi principes profanae iuventutis. Per hos *praetextatos* inter primam et secundam epularum mensam [35]), dum ipsi denuo *ture et vino faciunt,* ea quae libaverint de coena *ad aram retulerunt,* quod solebat talium ministrorum ope fieri: ipsi vero uncti, coronati, *manteliis* [36]), quae epularum erant signa, ornati *rursus gustaverunt frumenta.* Sacrum excipiebat *secunda* epularum *mensa* [37]). Vides bis gustari fruges, mane ab indutis sacerdotii signo, post

34) Panes omnibus, quae de frugibus instituta erant, adhibebantur sacris. Fest.: „Panibus redimibant caput equi immolati Idibus Octobribus in campo Martio, quia sacrificium fiebat ob frugum eventum." Cf. Macrob. Sat. III, 11. fin. Marini Obss. p. 526. Laureati panes sacerdotibus appositi, quia laureis foliis ad mustaceos pariter ac placentas condiendas utebantur. Cat. R. R. 76, 3; 121. Cf. Cic. Att. V, 20, 4.

35) Serv. V. A. I, 734: „Apud Romanos coena edita sublatisque mensis primis silentium fieri solebat, quoad ea, quae de coena libata fuerant, ad focum ferrentur et igni darentur ac puer deos propitios nuntiasset, ut diis honor haberetur." Morem referendi ad aram vide Ovid. Fast. II, 650: „Stat puer et manibus lata canistra tenet. Inde ubi ter fruges medios immittit in ignes, Porrigit" cett.

36) Mantelia in sacris usurpata Ovid. Fast. IV, 933. In tabula nostra scriptum *mantelis* ut *subsellis, fili, filis,* alia.

37) In qua apponebantur *bellaria.* „Significat id vocabulum omne mensae secundae genus." Gell. N. A. XIII, 11.

meridiem ab indutis epularum signo: praeterea mane ungi deam, post meridiem referri ad aram.

Vacat dies proximus, eo vero, qui hunc sequitur, summum peragitur sacrificium. In luco deae Diae sito ad viam Campanam apud quintum lapidem 38) nobilissimis eius cerimoniis funguntur sacerdotes. Triplex vero harum est ratio: fit sacrum in luco, in aede, in circo. Luco aedes ab inferiore parte adiacet 39), ante aedis ostium siti sunt circus et ager frumentis consitus 40): lucus ara, aedes mensa, ad quam adstant subsellia, circus foculo, qui cespite ornatus est, insignis. Neque obscurum est, qua in re differat locorum usus. In luco in summa pace et quiete solitarium versatur et iis, qui huic religioni apti sunt, ritibus adoratur numen 41):

38) T. XLIII, l. 13: „IV. Id. Dec. fratres arvales in luco deae Diae via Campana apud lapidem quintum convenerunt." Ad quintum sextumve lapidem, ubi antiquissimus agri Romani terminus, plura pro arvis celebrabantur sollemnia, Festis inter quintum et sextum lapidem Ambarvia, Strab. V, p. 230. (cf. n. 68.); ad quintum prope viam Claudiam Robigalia, Kal. Praenest., ad sextum Terminalia, Ovid. Fast. II, 682.

39) Ascendunt enim in lucum T. XLI, a, 23.

40) Id quod efficitur e petendis, quae consecrentur, frugibus, quas decerpunt ante aedis ostium magister et flamen: cf. not. 59. In medio ipso Iunonis Laciniae luco pascua erant Crotone, Liv. XXIV, 3. Agrum vero huncce profanum fuisse arbitror.

41) Cf. Ovid. Fast. III, 295: „Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra, Quo possis viso dicere: numen inest." Incolunt Picus et Faunus. Alibi in medio luco ipsa lavatur Diana ib. II, 165; e luco „multis incaeduo annis" emittitur vox Iunonis ib. 440; vox Apollinis „luco obscuri opaco" ib. VI, 425; vox Fauni Cic. Divin. I, 45, 101; vox Silvani Liv. II, 7. „Nemus arboribus densum secretus ab omni Voce locus" Musarum sedes, quam intrat Ovidius Fast. VI, 9. Cf. Amor. III, 13, 7; Stat. Theb. IV, 423. „Numina luco et in ipsis silentia ipsa adoramus" Plin. H. N. XII, 1. Lucan. Phars. III, 411.

aedes usui collegii sacerdotum, qui humano opere divinam tractent rem, inservit: circus patet profanis deorum favorem honore in eos collato sibi conciliaturis. Ad aram in luco adducuntur, quae diis universa commendantur: immolantur ibi hostiae, consecrantur fruges: in aede tum epulantur sacerdotes, tum exta frugesque cum profanis communicant, tum cum tripudio saltant: in circo peraguntur ludi, qui illustrem in deos conferant honorem [42]).

Exordium fit ab iis quae ad lucum pertineant ipsum. Matutino tempore *in luco deae Diae* collegii *magister ad aram immolavit* porculas [43]) *piaculares duas luci coinquendi et operis faciundi* [44]). Siquidem quae sacrae sunt deae Diae arbores, coercentur cum putantur [45]). Ferrum arboribus inimicum, procurandus igi-

42) Ovid. Fast. III, 783: „Rusticus ad ludos populus veniebat in urbem, Sed dis non studiis ille dabatur honos." ib. V, 297: „Nos quoque tangit honor; festis gaudemus et aris Turbaque coelestes ambitiosa sumus." Exactorum, qui neglecti erant, ludorum exemplum celeberrimum est Cic. Divin. I, 26, 55. Aug. Civ. Dei IV, 26. alibi. Honoris signa iis, quae venerationem ostenderent, apud Romanos prorsus contraria. Cum omnibus diis ex Romano more sacrum fieret operto capite, aperto faciebant Honori. Plut. Qu. Rom. 13. Praeterea Herculi, quem, cum humanae esset originis, honor potius deceret quam veneratio, et propter aliam religionem Saturno, Serv. Virg. Aen. III, 407. In luco porculis, *honoraria* vacca in circo faciunt fratres arvales: cf. n. 50. De honore circensi n. 161.

43) Tabula *porcilias.*

44) Opus faciundum est coinquendus ipse lucus. Ita coniuncta: „scripturae et scalpturae et operis perfecti" T. XLIII, et omissa particula T. XLII. Noli cogitare de alio opere.

45) Cat. R. R. 139: „Lucum collucare Romano more sic oportet. porco piaculo facito, sic verba concipito: si deus, si dea es, quoium illud sacrum est, ut tibi ius siet porco piaculo facere illiusce sacri coercendi ergo" cett.

tur eius usus: at non tantum ab usu ferri, quantum a feritate abhorret dea Dia [46]: itaque in luco, quem violare nefas [47], servandus tamen decor, exhibenda culturae, cui omnia debentur a frugibus [48], signa: eo igitur, quo adornantur hortorum arbores, fungendum opere: turbanda numinis quies, ut satisfiat eius legi: turbata vero quies tamen expiatione procuranda. Piaculi *exta ad ipsam porriciebantur luci aram*, ut cum reliquarum hostiarum exta ad alia altaria redderentur, utraque porcula omnis ad lucum referretur [49]. Deinde ad circum, ubi per alacrem virium exercitationem edebantur ludorum, quae placerent diis, in quorum honorem celebrarentur, spectacula, nobilissimi pars sacrificii

46) Cereale numen dea Dia, id quod in tertio capite demonstrabitur. Ceres vero „prima ferro mortales vertere terram Instituit," Virg. Georg. I, 147. Ibi Servius: „ferrum dicendo cuncta generaliter rusticorum arma complectitur." Cf. Ovid. Met. V, 341. Isid. Hisp. Orig. XVII, 1, 2: „Prima Ceres in Graecia ferro vertere terram instituit, sed qualicunque, non specialiter vomere aut aratro."

47) Ovid. Fast. IV, 753. Met. VIII, 743.

48) Ovid. Medic. Fac. 3; „Cultus humum sterilem Cerealia pendere iussit Munera: mordaces interiere rubi." „Silvestrem flammis et ferro mitigat agrum" Hor. Ep. II, 2, 186. Eodem culturae signo prohibebatur ne domus intraret ferum silvarum numen Silvanus. Cf. n. 103, 199.

49) In luco consumta quaequae pro ipso immolabantur luco. Cf. T. 1: „ita censuerunt, cum arbor vetustate in luco deae Diae cecidisset, ut [illa expiaretur porco et agna opima, quae omnin]o ad sacrificium consumeretur neve quid e luco exportaretur." Cf. Orell. Inscr. 1615: „extra hoc limen aliquid de sacro Silvani efferre fas non est." De porriciendis extis cf. Macrob. Sat. III, 2. Varr. L. L. VI, 54. R. R. I, 29. Fest. Porriciam. Pollucere. Differt, quae postea commemoratur, ollarum libatio, designata per faciendum sacrum, cf. not. 55.

relata est. *Immolavit* enim magister post porculas in ara *vaccam honorariam* eiusque extorum partem *reddidit ad foculum in circo* [50]. Deinde *cavit in codice*, qui in aede servabatur, quod adfuisset et sacrum fecisset, quippe confecta sacrificii parte ea, quae sibi soli esset agenda: et *deposita praetexta*, quae res finitum ostendit officium, in tabernaculo [51]), quod sibi constitutum erat, exspectabat collegarum adventum.

Promeridie fratres arvales sumtis praetextis in aede convenerunt, caverunt de re eadem, qua antea magister, *et epulati sunt carnem atque sanguinem* porcularum quarum exta reddita erant ad aram in luco: ut omne hoc quod pro luco factum erat sacrificium omnino in divinum usum converteretur. Deinde per *lucum*, cuius summam modo curam vidimus habitam fuisse, populo submoto [52] *ascenderunt capite velato spiceis ornati coronis* [53]: quibus signis et de pacata, quae luci propria est, quiete ac de veneratione diis debita [54], et de relato ad fruges iamiam maturescentes arvali munere moneri apertum est: ibique ad aram *opi-*

---

50) Immolata interdum ad ipsum foculum vacca. T. XXV, XXXII. Alias in luco ad aram omnes hostiae. In luco Robiginis canis et ovis, Ovid. Fast. IV, 907. Cf. n. 141. Aliae in luco Fauni, Hor. Carm. I, 4, 11. Ceterum nonnisi extorum vaccae pars in foculum nunc porrecta (propterea vox exta singulari numero posita: *extam vaccinam reddidit*): reliqua ollis cocta et postea populo tradita. Porcularum vero omnia exta nunc ad aram porrecta.

51) Tabula: *et in papilione suo reversus.*

52) T. XXXII, col. 2; T. XXXV; T. XXXVI.

53) Cf. not. 15.

54) Virg. Aen. III, 405. Plut. Qu. Rom. c. 10. Ritus Sabinus, Serv. Virg. Aen. V, 755.

mam immolaverunt agnam, acceptissimam hostiam, cuius *litationem inspicere* diserte videntur iussi fuisse. Accenso *ture et vino* libato finis impositus sacrificio, quod iam *perfectum* dicitur, cum immolatae sint porculae, vacca, agna, quae respondent pleno, quo confici lustratio vel numinum placatio solet, sacrificio, suovetaurilibus.

Sacrificium absolutum sequebantur cerimoniae, quibus in humanum usum converteretur, qui per sacrificium hominibus conciliatus esset, deorum favor. Cum diis omnia, quae offerenda esse persuaserat religio, sunt oblata, arctissima intercedit inter ipsos et sacerdotes communitas. Aptissime igitur nunc per hos, qui summa modo vigent auctoritate, peragitur officium, cuius causa omne institutum est sollemne: consecrantur fruges. Exordium ritus pariter ac pompae fit in aede. Ubi cum peragi solerent quaequae ipsam exigerent divinam opem, *in aedem reversi* a luci ara sacerdotes *in mensa sacrum fecerunt ollis* 55) postea cum populo communicandis, *magistro et flamine* missis ut idem facerent *ante aedem in cespite* circensi 56). Ad hanc

55) Em. Marinius. Tabula OIIIS. In Obss. p. 588. Marinius coni. *omnes*. Sed postea denuo dicitur de ollis. Ceterum id quod nunc factum commemoratur sacrum est libatio eorum, quae ollis cocta erant, extorum: cf. not. 49, 50.

56) Non dubito, quin nullius fiat mentio cespitis, nisi eius, qui in circensi foco antea commemoratus est. Cf. not. 50, 114. Quod latuit interpretes. In hoc foco antea porrecta vaccinorum extorum pars per magistrum, nunc libatum ex ollis, quibus reliqua vaccina exta coquebantur, per magistrum et flaminem. In mensam cum porricerentur agnae exta eodem, quo ollis agninis sacrum faciendum erat, tempore, porrectorum extorum non diserta fit mentio.

porrecta vidimus vaccae honorariae exta, ad mensam porriciuntur exta agnae opimae: factum vero sacrum est quod diis libatur de utrisque, idque tum in aede tum in circo, quia uterque humano, sacerdotali illa, profano hic, patet operi. Restat ut humanae res in ipsam introducantur luci solitudinem, ut penetretur cum frugibus consecrandis ad aram. Quod ut liceret, primo a turba, quae ad aedem convenerat, cogebantur stipes, ut quiqui deorum opem precarentur, darent aliquid pro impetranda ea [57]). Deinde *foras* in lucum *reversi ad aram thesauros*, quibus coactum erat hoc, porrexerunt fratres, dum *ante ostium* ad foculum cespite ornatum *sumpuvias* ex vetusto more fictiles [58]) *in scyphis argenteis vino* et *acerras ture repletas* reddunt et libant *magister et flamen:* ut eodem tempore in circo, ubi honor in deos conferendus, atque in luci solitudine, in quam importandae fruges, ut proxime admoverentur ad deos, sacrum fieret, sicut antea simul in aede et in circo. Etenim *ad petendas fruges restiterunt* hi *duo ante ostium* prope aedem iisque decerptis eo quo praeierant (qui et ipsi reversi esse dicebantur) collegae, *reversi* ad aram manu *dextra dederunt, laeva receperunt, deinde ad alterutrum sibi reddiderunt*, ut quae modo in ara diis fuissent oblatae, reducerentur in humanum usum per manus eorum,

---

57) De more cogendae stipis cf. Ovid. Fast. I, 188, 192, 219.

58) Tibull. I, 1, 39: „Adsitis divi, nec vos e paupere mensa Dona nec e puris spernite fictilibus. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula de facili composuitque luto." Ubi de servato in publicis sacris hoc more vide interpretes.

qui plena et integra iam pollebant auctoritate: postremo *publicis tradiderunt* qui vulgari eas restituerent usui 59). Neque vero solas, sed communicanda cum vulgo videbantur etiam exta hostiarum: relicta igitur ara omnes denuo *aedem intraverunt, ollas,* in quibus cocta erant vaccae et agnae exta, quae ad aram et focum admoverant libaturi, precando repoposcerunt 60) et *ostiis apertis per clivum iacuerunt:* postremo etiam *panes laureatos per publicos* distribuerunt: qui vero adstabant in corona eorum, qui spectabant, *tum omnia haec edulia,* fruges, exta, panes, raptim *acceperunt* 61).

59) In tabula locus omnis: „Item foras ad aram reversi thesauros dederunt: item flam. et promag. scyfos arg. cum sumpuis vino repletis ante ost*i*um, acerras, ture et vino fecer., et ante ost*i*um restiteru*nt* duo ad fruges petendas cum public. o. s., desciderunt et reversi dextra dederunt, laeva receperunt, deinde a*d* alterutrum sibi redd. et public. frug. tradider." Sic scribendum videtur. Servari quaequae exhibet tabula praeter vitia manifesta ost*e*um, restituer*u*et, a*b*. Sermo propter omissa ex harum tabularum more verba finita praecisus. Minime vero omitti poterant participia quod statuit Marinius: . . . . . „ante ostium, (*et*) acerras (*ferentes*) ture et vino fecerunt et ante ostium restiter*unt*, (*et*) duo ad fruges petendas cum publicis *discederunt* et reversi" cett. Ubi audacius interpolata nonnulla et discederunt pro discesserunt intellectum.

60) In tabula: *ollas precati sunt.* Quod quomodo interpretandum sit dubitat Marinius. Quod per diuturnam meditationem reperisse equidem mihi videor, supra dictum.

61) Ita quin interpretandum sit, nullus dubito. Tabula: *ibeomnlumemulia* (e quibus facile extricantur: ibi omnia tum edulia) *cum rapinis acceperunt.* Lumemulia et rapinas de rapis aliisque plantis dicta opinantur interpretes. Nostrae explicationi testis est Martialis VIII, 78, 8: „Omnis habet sua dona dies, nec linea dives Cessat et in populum multa rapina cadit." Quod poetarum proprius videtur hic dicti de arreptis donis vocabuli usus, conferas eiusdem rei exemplum not. 32. Poetarum usum

Cerimoniarum, quibus praesidium divinum frugibus pararetur, extrema est saltatio, quam, ut averterent luem et intemperiem a frugibus modo consecratis, peragebant sacerdotes. Ab hac submoventur profani. *Omnes* (sacerdotum publici et reliqui ministri) *foras exierunt, aedes clusa est, deorum simulacra unguentis uncta: ibi sacerdotes clusi succincti libellis acceptis* voce *scissa* 62) *cum tripudio cecinerunt carmen* antiquissimum, cuius initio Lares invocaverunt, deinde Martem precati sunt ne amplius fureret, Semonum praesidium ipsiusque Martis favorem imploraverunt, denique vero triumphali exsultatione conclamaverunt. *Post tripodationem deinde signo dato publici introierunt et libellos receperunt.* Sacerdotes in proximum annum *magistrum et flaminem* designaverunt, curam nunc omnis sacerdotii habentes, sicut matutino tempore luci rebus prospexerat magister; deinde *praetextis depositis in aede epulati sunt* 63): quibus epulis cerimoniis finis impositus.

---

reperire mihi videor in iis, quae antecedunt: *panes laureatos per publicos partiti sunt*, ubi partiri de dispertiendo et distribuendo dictum, sicut Virg. Aen. I, 198: „socios partitur in omnes vina." Differt ea, qua apud Martialem positum est vocabulum, non notio sed ratio, a nostro loco, cum ibi de rapto, hoc loco de raptione dicatur. Legitimus tamen uterque usus. Et exspectamus quidem singularem numerum: attamen in eo, qui harum est tabularum, sermone non offendit pluralis, cum bellico sensu apud optimos scriptores rapinae fieri dicantur, et revera, si non semel eiiciuntur missilia, plures, quisquis plura arripit, raptiones faciat. Similis est Tac. Hist. III, 70. pluralis: „captivitatibus urbium;" Ann. III, 7: „scelerum probationes;" alii.

62) Tabula: *carmen descindentes tripodaverunt in verba haec.*

63) Epulati sunt vaccae et agnae carnem.

Cerimonias sequebantur ludi, quibus in circo, quo reddita erant honorariae vaccae exta, per summam virium contentionem honorem in deos conferre sibi videbantur. Itaque *post epulas puer ricinio indutus in circo signum misit quadrigis, bigis, desultoribus*, quorum certaminibus *praesidere* solebant *magister et flamen, qui victores palmis et coronis argenteis ornavèrunt. Denique Romam reversi sunt* fratres arvales ibique *in domo magistri coenatoriis vestibus albis induti* denuo *epulati: fecerunt* deinde *ture et vino et in manteliis frumenta* gustaverunt. Ministrabant *pueri quatuor senatorum filii.*

Insequenti die a fratribus *coenatum* in *domo magistri, ture et vino factum, ministratum* a pueris senatorum filiis praetextatis vel riciniatis, qui *fruges libatas cum calatoribus et publicis ad aram porrexerunt*, deinde taedis incensis *canipas contigerunt* 64) easque *per calatores domum miserunt.* Tertio igitur pariter ac primo die inter epulas fruges libatae, per pueros ad aram perlatae, diis commendatae, a sacerdotibus gustatae: secundo die praeter has epulas magnum pro luco sacrificium, consecratorum frumentorum et tripudii cerimoniae, equestres ludi.

Ab Ambarvalibus recte, si quid video, sollemnia haecce discrevit Marinius 65). In illis omnia versabantur in eo, quod ambiret arva victima 66): in nostris

---

64) Cf. not. 32.

65) Praef. p. XXIX. Non sine dubitatione, quae diu tenuit etiam nos, dum iis, quae nunc protulimus, cesserimus argumentis.

66) Serv. Virg. Buc. III, 77: „Dicitur autem hoc sacrificium amb-

nihil tale nisi ducta per lucum pompa, arvorum vix ulla mentio: multa praeterea, quibus nullus in Ambarvalibus locus. Ad maturescentes fruges pertinent utraque, saltatum et cantatum in utrisque, sed in Ambarvalibus a rusticis, in nostro sollemni a sacerdotibus: in illis vino, melle et lacte, in his vino et ture factum: in illis quernae, in his spiceae coronae, in illis omnis turba ovans sequitur hostiam 67), in his submoto populo tacite pompam ducunt sacerdotes. Publice etiam celebrata utraque, sed Ambarvia vel Ambarvalia in pluribus locis, ubi antiquissima aetate Romani agri terminus fuerat 68), nostra sollemnia nonnisi ad Campanam viam: illa a pontificibus Cereri 69), nostra ab arvalibus

---

arvale, quod arva ambiat victima." Ib. V, 75: „Lustrare hic circuire, dicitur enim ambarvale sacrificium." Festus: „Ambarvalis hostia est, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab iis qui pro frugibus faciunt." Idem utrumque Macrob. Saturn. III, 5. Cato R. R. 141: „Agrum lustrare sic oportet. Impera suovetaurilia circumagi" cett.

67) Virg. Georg. I, 343: „Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret: Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho: Terque novas circum felix eat hostia fruges, Omnis quam chorus et socii comitentur ovantes Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante Falcem maturis quisquam supponat aristis, Quam Cereri torta redimitus tempora quercu Det motus incompositos et carmina dicat." Ubi Servius: „Ambarvale sacrificium, quod saepe de porca fecunda et gravida fieri consueverat." Cf. Tibull. I, 1, 21; II, 1, 1 et ibi Dissenium.

68) Strab. V, p. 230: *Μεταξὺ γοῦν τοῦ πέμπτου καὶ τοῦ ἕκτου λίθου τῶν τὰ μίλια διασημαινόντων τῆς Ῥώμης καλεῖται τόπος Φῆστοι· τοῦτον δ' ὅριον ἀποφαίνουσι τῆς τότε Ῥωμαίων γῆς. οἵ θ' ἱερομνήμονες θυσίαν ἐπιτελοῦσιν ἐνταῦθά τε καὶ ἐν ἄλλοις τόποις πλείοσιν, ὡς ὁρίοις αὐθημερὸν, ἣν καλοῦσιν Ἀμβαρουίαν.*

69) De Cerere vide Virgilinm et Tibullnm not. 67.

fratribus deae Diae. Probabile vero est, egisse aliquid etiam in Ambarvalibus, qui omnino, ut fruges ferrent arva, sacra faciebant, fratres arvales: cum a fratribus sive duobus sive duodecim sacrificatae esse dicantur ambarvales hostiae [70]), praeter hos vero sacerdotes nullis fratrum nomen videatur fuisse inditum. Sed aliis diebus celebrabantur Ambarvalia, neque a solis fratribus, licet ad ea etiam advocarentur vel omnes, vel qui eorum vice fungerentur, magister et flamen. Quibuscum pontifices pro agro publico sacra peragebant eadem, quae pro suo agro quivis homo rusticus. Et his quidem lustrabantur agri: cum deae Diae sacrificiis procurarentur convertendae in humanum usum fruges.

---

70) Festus: „Ambarvales hostiae appellabantur, quae pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur."

C A R M E N.

Carmen quod cum tripudio cecinerunt fratres arvales pervetustum esse indicatur sermone formis pariter ac structuris insigni. Cuius obscuritas cum augeatur apertis, quae sunt in tabulae scriptura, vitiis, vix sperari posset, fore ut certi quidquam e tanta interpretationum, quas moliti sunt docti viri, diversitate erueretur, nisi duplex adesset enodandi adiumentum, tum id quod ter in tabula repetitus est unusquisque versus, tum descripta in iis accurate deae Diae sollemnia. Neque quod sub Elagabalo demum insculpta est ea, cui servatum debetur carmen, inscriptio, nimis depravata est oratio, idque propterea quod e libellis haud dubie, qui servabantur in aede, ut ex iis carmen recitarent sacerdotes, accurate describebatur. In ipsis quidem his libellis num servata sit antiquissima quae fuerit eius scriptura, dubium est, neque quando litteris primo mandatum sit carmen, aliunde compertum habemus. Memorabilis tamen est ea diversitas, qua in is exeunt accusativi *pleoris* et *Semunis*, in es vocativus *Lares*. Quae relegare nos videtur in eam aetatem, qua distinguere ita casus solebant Romani neque tamen solis iis,

quorum genitivus terminabatur in ium, vocabulis certa lege addicebant accusativum in is. Cf. Schneider. Gr. Lat. II, p. 239, 269. Concinit cum hac re terminatio vocis *alternei*, quam in nominativo secundae declinationis servarent, cum in reliquis formis omnibus i longum reciperent (velut in limen v. 3.): cf. Schneid. I, p. 65; II, p. 66. Prisci moris est etiam omissa quae minus audiebatur littera m in *luerve* et eiecta littera e in *sins*, in *advocapit*, fortasse etiam in *berber*, cum tamen servata sit, licet vix audita, in *neve* et *incurrere*. Sed in his etiam legem agnosco, ad quam scripta sit quae pronuntiatione elidebatur vocalis littera prope vocalem (excipitur enim *incurrere* ab *in pleores*, antecedit vero in *neve* quae pro vocali haberi potest littera v), ut in hac re synizesi quadam potius quam vera elisione interisse videatur, non scripta, ubi omnino numeros turbabat, inter consonantes duas. Iam cum in his omnibus scripturae adhibitum videatur aliquid curae, cuius nulla in Scipionum monumentis aliisve antiquioribus (ubi promiscue fuet, cepit, dedet, alia) reperiantur vestigia, et absint cascae scripturae signa, velut una pro geminis littera (oloes pro illis, similia: cf. Schneider. I, p. 395: contra V. 2. *incurrere*): alucinari nobis non videmur, si in Sullano ita, ut postea recitabatur, scriptum carmen putamus aevo: ante quod Lucilius, paullo post Nigidius Figulus de his rebus commentatus est (Quinctil. I, 7, 15. Gell. N. A. IV, 15). Antea ore propagatum videtur carmen, neque dubito quin bene intellectum sit cum scriptum est: minus etiam probare possum interpretationem eam, quae ulli sensum, quem Sullana aetate percepit nemo, tribuat

vocabulo. De formis antiquioribus, velut *Lases, luerve, pleoris, berber, Semunis* non est dubitatio, quippe quae inhaererent iis, qui, ut par erat sacerdotibus, venerabantur antiquitatem. Et plerasque a mutatione servavit numerus.

In constituendo numero non possum non iis obstrictum me habere legibus, quas demonstrant tabulae, ut, ubi repetiti versus fit exordium, eius terminum statuam; cum sint, qui aliter distribuerint versus, ut quatuor legitimi prodirent Saturnii, quibus interiectus esset dimidius. Mihi persuaderi non potest, ad eundem omnes syllabarum numerum compositos fuisse Saturnios. Sed ea videtur esse observata lex, ut e binis componerentur trochaicis tripodiis, quarum priori nunc adderetur nunc deesset anacrusis. Interiectae deinde in lyricis carminibus sunt binis tripodiis singulae, velut v. 1 et 5. Utrique in hocce carmine addita anacrusis, addita praeterea v. 2, deest v. 4; in v. 3 dubium est, utrum ictu producta sit prior vocabuli *satur* syllaba, an inter *satur* et *furere*, qui est tribrachus pro trochaeo positus, cessatum per unam moram. Diaeresis semel servata, in medio v. 4, ibique hiatu insignis, bis neglecta, v. 2 post primam vocis *incurrere* syllabam, v. 3 in media voce *limen*. Liberioris, quem statuimus, usus exempla reperiuntur imprimis in monumentis Scipionum, quorum inscriptiones qui in eos, qui vulgo statuuntur, legitimos redacturus est Saturnios, non poterit non indulgere nimis libero in producendis iis, quae sunt brevissimae, vocalibus arbitrio.

E nos, Lases, iuvate.
Neve luerve, Marmar, sins incurrere in pleoris:
Satur furere, Mars, limen sali, sta berber:
Semunis alternei advocapit conctos.
E nos, Marmor, iuvato:
Triumpe, triumpe, triumpe, triumpe, triumpe.

Age, nos, Lares, iuvate. Neve luem, Mars, sinas incurrere in plures: Satur furere, Mars, pede pulsa limen, sta verbere: Semones alterni advocabite cunctos: Age, nos, Mars, iuvato. Triumphe etc.

V. 1. *E* pro eh quod exstat Plaut. Poen. II, 27 et in formulis Ecastor, Ecceres, Eiuno, Equirine, in quibus initio nil infuisse videtur nisi invocatio.

Sunt qui dictum *enos* existiment pro *ennos* contra rationem scripturae. Cogitavi de prisca pronominis forma, cui addita littera e, sicut in ἐμοί pro μοί, enim pro nam, eheu, ehem pro heu, hem.

Lases dictos esse Lares nemo ignorat. Festus: „R pro S saepe antiqui posuerunt ut maiosibus, meliosibus, Lasibus, fesiis." Varr. L. L. VI, 2. Plura Schneider. I, 342.

V. 2. *Neve* ita, ut minus audiatur littera e, pronuntiandum, sicut pro cave ne eas audiebatur cauneas: Cic. Divin. II, 40, 84.

Luerve dictum pro luervem, luerem, luem. Omissam litteram m vide in monumentis Scipionum (Meyer. Anthol. I, 1 et 2) aliis. Cf. Schneid. I, p. 307. Littera v saepe inserta post r: ita ab arando dictum est arvum (Varr. L. L. V, 39), ab eadem radice petita sunt parvus et parum, curvus et κυρτός, furvus et fuscus, fulvus et fulgere, alvus et alere, calvus et kahl, cavus et

χάος. Ad eandem legem formata sunt Minerva, caterva, nervus, servus, cervus, similia. Etiam post vocalem litteram inserta est haecce, velut in furtivus, aestivus, cadivus, nocivus; servata a Romanis in laevus, divus, scaevus, ovum, aevum, cum eiecta sit a Graecis; servata a priscis Latinis in Gnaivo, eiecta a posteris, qui praeferrent Gnaeum. Eiecerunt etiam in verbalis perfecti terminationibus. Denique qui reputaverit servatam non modo post vocales et alias liquidas (silva), sed etiam post q et g, ubi omiserunt aliae, quae eiusdem familiae erant, linguae, agnoscet, respondisse in vetusta lingua Latina litteram quodammodo geminatae, ut produceret brevem syllabam positio, apud Graecos liquidae, ut vix miraturus sit quisquam, si cum lucrem dicerent pro lucm, sicut boverem, nucerem, suerem, sicut posteri etiam Cererem, cinerem, ubi longa syllaba opus esset, rustica lingua prisca inseruit eam, quam soleret fere secum trahere littera r. Bisyllabum luerve sicut puellam Plaut. Cist. I, 2, 5. Schneid. I, p. 92. Vim vocabuli esse *pestilentiam* statuunt interpretes (cf. Doederlein. Synon. II, p. 58.): mihi, cum de frugibus agatur, probabile est, significari perniciosum, qui robiginis causa est, humorem.

Bis scriptum *luerve*, semel per errorem *luaerve*.

Marmar Martis vocabulum. Utrum ex mera reduplicatione repetendum sit an coniuncta eius notio cum Graeco μαρμαίρειν (Alcae. apud Athen. XIV, p. 627: μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος χαλκῷ· πᾶσα δ' Ἄρει κεκόσμηται στέγη), cum satis antiquo tempore receperint Romani marmoris vocabulum, incertum relinquo.

Semel scriptum *Marma*, bis *Marmar*. Obscurum quidem signum

litterae r, sed tollunt dubitationem comparata ea, quibus scripta sunt *Marmor* v. 5 et *berber* v. 3. Vide accuratam tabulae apud Marinium (iuxta praef. p. XLI.) effigiem.

Sins, id quod monuit Lanzius, positum pro sinas, ut recipie apud Catonem pro recipiam et alia complura. Fest. Elisa littera e sicut in oprae, bignae, aspri. Schneid. I, p. 172.

Sins bis scriptum erat, quorum alterum integrum exstat, mutilum est alterum, semel per errorem *sers*. In quo latet fortasse *sirs* dictum pro siris, quod in precibus saepe pro siveris usurpatum.

Incurrere. Medii versus, quae est in hoc vocabulo, diaeresis designatur primo loco per punctum, secundo loco per intervallum positum post particulam in. Tertio loco angustius est intervallum, videtur tamen non omnino deesse.

Pleoris dictum pro plures recte existimavisse videtur Marinius, qui in memoriam revocavit formam plerique. Radix est PLE, quam cernimus in plenus, plerus, pleo, impleo et Graecis πλέων, πλείων, πλεῖστος. Additis iis, quibus formantur comparativus et superlativus, terminationibus exsistunt pleior et plesimus, pro quibus scripta invenimus pleor et plerimus. Transiit postea pleores in plures, sicut revorsus, rorsus in rursus: cf. Schneid. I, p. 123.

Sunt qui *flores* intelligant, at obstat, quod neque satis intelligitur, unde repetita sit littera e, et raro permutantur f et p. (Schneid. I, p. 320.). Servavit priscam formam numerus. Semel scriptum *pleores*, bis *pleoris*.

V. 3. *Satur furere* dictum ut heu nimis longo satiate ludo, Hor. Carm. I, 2, 37: quod monuit Grotefendius (Gr. Lat. II, p. 285.). Cf. Ovid. Met. VIII, 808. Sil. Pun. IV, 435, 735. Cic. Qu. Fr. I, 3, 4. Fa-

ctam inter utrumque vocabulum moram indicat interiectum, ubicunque scripta sunt, punctum.

Semel scriptum EURERE, bis FUFERE, in quo non dubito quin ex priori ortum sit alterum F. Aliter Hermannus (Elem. doctr. metr. p. 613.) qui *fufere* pro *fueris* dictum putat: ego vero in hac tabula scriptum esse f pro v mihi persuadere nequeo.

Limen sali, tripudians limen pede feri. Ita locum cum ipse explicuissem, quia optime, id quod recentiorum nemo interpretum monuit, sic invocaretur qui Saliis gauderet Salisubsulus Mars Gradivus, praeoccupata haec inveni a Marinio: *salta il limitare del tuo* (rectius *questo*: advocatur enim in aedem deae Diae, ut pacem nunc componat cum Cerealibus numinibus pacemque, dum cum iis versatur, frugibus concedat, fervore, quo gaudere solet, non bella sed equestres ludos excitaturus) *tempio*. Audacior, quae ex nostra statuitur interpretatione, structura in lyrico carmine vetustissimo providum vix offendet.

Quod sunt qui *lumen solis* intellexerint, migrare mihi videntur omnem interpretandi modum, qui aliam omnino in notissimis vocabulis in prisca lingua vim atque qua postea usurpantur, infuisse volunt. Praeterea nusquam in hoc carmine pro duabus posita simplex littera, id quod esset in *salista* dicto pro *solis sta*. Neque fugit hoc Hermannum, sobrium in his quoque rebus indicem: quod vero *limen* pro *postremum* dictum opinatur V. Cl. vereor ut multi probaturi sint.

Sta berber duplici explicari potest ratione, inter quam haud ita facile diiudicabis. Sensus non dubito quin sit idem, qui eorum, a quibus exorditur versus, vocabulorum: desinas furere: itaque sta dictum pro consiste [71]. Quaeritur modo, quanam voce furor, quo

---

71) Nonius p. 391: „Stare consistere omnium consensu dicitur. Virg. Georg. lib. III (v. 84): Stare loco nescit." Ubi exhibetur bellicum animal equus. Cf. n. 122.

non amplius vagari iubetur Gradivus, sit designatus. Exstant in Latino sermone duae, quarum neutram omnino repudiare iuvat. Proxime a litteris, quas exhibet tabula, abest verber, dictum de flagro Martis, μάστιγι, τὴν Ἄρης φιλεῖ, Aesch. Ag. 600. „Conscendit equos Gradivus et ictu Verberis increpuit," Ovid. Met. XIV, 821. „Quem cum sanguineo sequitur Bellona flagello," Virg. Aen. VIII, 703. „Quadriiugos atro stimulat Bellona flagello," Sil. Pun. IV, 439. Equorum deum, immissis equis bella moventem Martem postea demonstrabimus. Nunc quiescere flagro, nunc non amplius verber, ut incitet belli equos, vibrare iubetur Mars, praesit potius, qui mox parabuntur, equestribus ludis. Berber pro verbere dictum ut berbex (verbex pro vervece in ipsius huius tabulae linea 3 et 4), berbena, berna. Quod deest ablativi signum, excusatur eo, quo nox pro noctu in XII tabulis dictum est, usu: Gell. N. A. VIII, 1: „Decemviri in XII tabulis nox pro noctu dixerunt." Idem Macrob. Sat. I, 4, qui pergit: „Verba haec sunt: Sei nox furtum factum esit, sei im occisit, ioure caisus esto." Et haec quidem omni sollemnium rationi optime respondere videtur interpretatio. Neque tamen inepta est altera, pro fervere, cuius formae ferbuit et ferbunculus satis notae, dictum esse berber, sicut biber pro bibere dixerunt Cato, Titinnius, Fannius (Charis. p. 99). Quae vox de bello et litibus saepe usurpata: „Fervet opus" Virg. Georg. IV, 169. „Fora litibus omnia fervent" Martial. II, 64, 7. „Fervet ferturque avaritia" Cic. Quint. 11. „Totoque instructo Marte videres Fervere Leucaten" Virg. Aen. VIII, 677. „Per arva fervebat Mavors," Sil. Pun. VI, 317; cf. XIII, 742.

Infinitivus verbo stare, quod consistendi sensu dictum, additus esset pro gerundio, sicuti iungitur cum absistere, desistere (vide Lexica), similibus. Cf. Ruddim. Gr. Lat. II, p. 231, not. 12. Et saepe permutatae sunt litterae b et f (Schneid. I, p. 226), ut berber transisse putandum sit in fervere, sicut βρέμειν in fremere, sicut rufus et rubeo, fel et bilis, fortasse etiam futuere et batuere eiusdem sunt radicis. Rarius tamen antiquius b transiit in f quam f in b. Cf. Schneid. I, p. 226.

De fervendo vocem *berber* dictam putant ii, qui *limen sali lumen solis* interpretantur. Iidem vero *sta* pro *siste*, qui usus vocabuli nimis dubius. Quod de *vervece* cogitavit Hermannus, quia verveces in sollitaurilibus maioribus immolabant Laribus fratres arvales: prorsus diversum est illud sacrificium ab hisce, qui deae Diae celebrantur, festis diebus. Vitia scripturae .... *e sta*, *sall sta*, neminem debebant morari.

V. 4. *Semunis* quin pro Semones dictum sit, dubitari non potest. Exemplum igitur hoc est positae antiquitus litterae u ibi ubi postea o: quod cum omnino rarum sit, in priscis monumentis Latinis vix praeter hunc locum et nomen Poplicula in tabula antiqua (Orell. Inscr. nr. 547) invenitur. Commemorantur tamen formae cunger, huminem, funtes, frundes, praestu Schneid. I, p. 30. Addendae his Oscae videntur formae, Vettune pro Vettona (Lanzi Ling. Etrusc. II, p. 619, nr. 16), pust pro post (saepius, ib. 612, nr. 12; fortasse etiam Poimunie, ib. 618, nr. 15), et qui in ud exeuntes eiusdem linguae ablativi reperiuntur in tabula Bantina [72]): faetud l. 9, dolud malud l. 11, preivatud aetud l. 15, ziculud l. 16, licitud l. 19 ectt.: praeterea

---

72) Marini Obss. p. 570.

formae prumeddixud l. 13, prumedicatud l. 25, pruhipid l. 25, pruhipust et estud l. 36: ut mittam quaequae magis dubia videntur. Etiam Umbris et Tuscis usitatum erat u pro o: Priscian. p. 553. Müller. Etrusc. II, p. 279.

Ceterum secundo loco scriptum *Semunis*, in tertio *Simunis*, in primo deficiunt litterae *Sem.* Litteram *i* ab errore repeto.

Advocapit, advocabite. E abiectum ut in imperativis inger (Catull. 27, 2), dic, duc, fac, fer. Littera p pro b haud raro usurpata, omitto scriptam ante s et in exitu syllabarum (pleps, optenuit), quarum ratio diversa: sed afferunt Sabinorum alpus e Festo, scapres (scabies), poplicus, Poplicola (Schneider. I, p. 224): quibus addo Oscum pruhipid, pruhipust, quod a prohibendo repetendum videtur. Usurpatae in terminatione verbali litterae exemplum deficit: neque multa est fiducia, cum moneo, ut postea litteris b et v distinguantur perfectum et futurum, ita fortasse antiquos futuro p, perfecto b delegavisse: siquidem dedicabit invenitur scriptum pro dedicavit. Schneid. I, p. 227. Futuri pro imperativo positi exempla vide apud Perizonium in Sanct. Minerv. I, 13. Ruddim. I, p. 205, not. 5.

Hermannus: *alterni, iam duo capit cunctus*, quod refert ad verveces duos unicuique, quem invocaverint, deo immolatos. At neque omnibus diis verveces, neque hi in iisdem festis diebus immolati sunt.

V. 5. *Marmor* quin idem sit quod Marmar v. 2. non dubitatur. Permutantur a et o tum in iis, quae vel antiquitus sumta sunt e Graeca lingua vel utriusque oris communia, vocabulis, domare δαμᾶν, pascere βόσκειν, marmor μάρμαρον, tum in propriis nominibus Fovii Fabii, Dolobella Dolabella (Liv. Epit. CXIX, cf.

Drakenb. Schneid. I, p. 11). Sunt qui a Marmore hocce Mamurium repetant, neque omnino abhorret a probabilitate, anciliorum fabri nomen cognatum esse cum deo. Praesertim cum in rustico Kalendario Farnesiano illud, in cuius honorem peragantur Saliorum sacra, numen dicatur Mamurius: cum enim nonnisi eorum, quae sunt celeberrima, in quovis mensi fiat mentio sollemnium, in Martio sola commemorantur sacra Mamurii, Liberalia, Quinquatria (Orell. Inscr. II, p. 380.). Similem Mamurio formam exhibet Martis nomen Mamers.

Duobus locis *Marmor*, tertio *Mamor* scriptum.

V. 6. *Triumpe* forma, quae Ciceronis demum tempore cessit aspiratae, cuius studium tunc in pluribus vigebat vocabulis. Cic. Orat. 48. Quinctil. I, 5, 10. Schneid. I, p. 201.

Triumpe ter integrum, ut scriptum erat, servatum, duobus locis mutilum.

NUMINA.

Italorum res sacrae, ut sint ad intelligendam antiquitatem gravissimae, multo maiorem, quam Graecae, habent dubitationem. Quod enim investigatione sobria ad liquidum explorari et exploratum ad cognoscenda, quae remotiora sunt et obscuriora, viam munire potest, quidnam de diis singulis senserint ii, quorum scripta nobis servata sunt, Graeci homines, id in Latinis minus expedit propterea, quod apud hos de sacris scriptum tum demum est, cum Graeca mixta erant cum domesticis et integra, qua gentis suae mores et instituta simplici patent homini, conscientia turbata. At restant tamen popularis Latinorum religionis nonnulla testimonia, quae satis distinguere possimus a Graecis: eaque petita e sollemnibus, quorum ritus anxia religione observabatur. Neque cito opinionum earum, quas in primordiis rerum suarum concepit, fovit, tradidit gens, obliviscuntur homines: imo quamdiu exstitit quisquam, qui iure suo Romanum se diceret, religionum, quas prisci instituerant Quirites, non omnino interisse potest conscientia et intellectus. Modo ne in iis, quae docta hi homines reperisse sibi visi sunt ratiocinatione, integram hanc

positam arbitreris conscientiam, sed in iis, quae vel ex vulgaribus petiverunt fabulis, vel obiter monent tanquam nota omnibus. Id enim, quod omittere poterant veteres, nobis ad intelligenda quae senserint gravissimum. Ut haec cognoscamus, adeundi sunt ii, quos ad interpretandos tum poetas tum sacrorum ritus scripserunt docti apud Romanos viri, commentarii. Scilicet in eo, quo Servius vixit, aevo, eorum, quae cuivis in Virgiliana aetate erant notissima, plurima nonnisi ex ampla repeti poterant doctrina. Neque igitur aspernandi hi, qui serius vixerunt, testes, quin ne Augustinus quidem, Lactantius, Tertullianus, modo hausta sint, quae afferunt, sive e parum mutatis, quas antiquo tempore institutas esse patet, religionibus et cerimoniis, sive ex Varrone, Verrio Flacco, aliis antiquioribus. Qui sane quidem ipsi saepius falsi sunt: sed in deducendis potius quam in exhibendis sacris rebus. In nulla re magis, quam in etymologia. Satis quidem constat, neglecta fuisse iam in ipsa Varronis aetate sacra instituta permulta, permixtas cum Graecis opiniones religionesque permultas. Mihi tamen persuasum est neque ut ei, qui praeiudicati nihil huc afferat, in ipso hoc capite persuadeam metuo, minime tantopere Romanorum religiones fuisse perturbatas, ut Virgilium, Propertium, Ovidium, ut Varronem et Verrium omnis ille, quo distinguerent, quae a priscis Romanorum rebus sacris omnino abhorrerent, ab iis, quae non introduxit sed excoluit recentior aetas, sensus deficeret. Poterant, qui Ciceronis aetate vivebant, populares religiones intelligere, modo vellent. Nolebant plerique, qui Stoicorum, Epicureorum, Academicorum disciplinis maiorem quam priscis

institutis domesticis auctoritatem tribuerunt. Volebant tamen et studium his rebus navabant, quorum ars, modo ne infringatur et obscuretur nimio religionum studio, neque religione neque religionibus carere potest, poetae. Caute quidem his utendum: quippe neminem fugit levis Ovidii animus. Nostris tamen studiis multa ex ipsa hac poetarum levitate evenerunt incrementa. Quippe cum in ea, qua erudiri in hoc aevo solebant Romani homines, doctrina cum recentissimorum philosophorum opinionibus mixtae essent antiquorum popularium superstitiones, ea levitas, quae quod sibi placeret pluris aestimabat quam quae docta reperirentur argumentatione, persaepe effecit ut rectius in sacris, quae omnia ad sensus simplicemque ratiocinandi rationem relata essent, sentirent poetae, quam philosophi. Id volo, etiamsi religiones suas negligere incepissent Romani, usque dum restituerentur et reficerentur hae ab Augusto, etiamsi Graecorum introducta essent commenta plurima: minime tamen interisse domesticam popularem illam sentiendi cogitandique rationem, cui ipsi soli originem debebant quaequae Romanorum religionibus propria erant. Quam rationem qui servabant in Ciceronis et Augusti aetate homines negligere poterant has religiones, poterant tamen etiam, modo studium in iis collocarent, tanquam suas percipere eas et domesticas, non alienas. Neque enim magis diversi a Graecis erant Romanorum mores, quam Scandinaviae populorum a nostris, quorum in popularibus religionibus affinitatem nuper egregio opere demonstravit Iacobus Grimmius. Ut vexarent sane et mutarent, quae ad sacra Romanorum adhibebantur Graeca, sed non everterent. Ever-

tebant id, quod proprium Romanorum erat, quaequae ex Asia et Aegypto introducebantur. Quibus frustra leges et iussa opposuit Augustus.

Quae cum ita sint, equidem cum longe absim a temeritate eorum, qui satis in vetustis illis opinionibus versati, ut certa argumentatione omnem numinum pariter, quae placentur, ac cerimoniarum, quibus placentur, rationem reddere possint, sibi videantur: tamen de his sollemnibus et de iis, quae lucem illis afferant, opinionibus satis multa nobis servata esse testimonia, eaque satis diligenter a me comparata et considerata existimo, ut credulus non iudicer, si statuere de iis aliquid audeo. Et quoniam id studium, quod te quiescere non sinit, antequam ad finem qui penitus tibi satisfaciat perveneris, non tibi soli sed aliis etiam nonnullis rei nondum satis intellectae rationem aperire solet, utar in explicandis his etiam sacris via ea, quae mihi quidem sola eam, quam ex omni doctrina petendam arbitror, familiaritatem cum sensibus sententiisque vetustis affert. Neque si ab iis, a quibus plurima in explicandis fabulis edocti sumus omnes litterati homines, doctissimis viris hic illic et in universa ratione et in singulis locis discessero, id a novarum rerum cupiditate, sed a veritatis studio repetent aequi iudices: et ipse si, quae mihi satisfecerunt, minus persuaserint aliis, intelligam, ubinam, quod absit, incautius egerim.

Ratio, qua compositae sunt veterum in sacris faciundis cerimoniae, plerumque nititur eo, quod in omni re divina tum id cavebant, ut acceptissima diis singulis esset precum ritusque natura, tum id, ne per eandem

rem offenderetur alius, cui magna esset in rem auctoritas, dei animus. Commune enim inter omnes, qui Iovis habebantur consentes, deos intercedebat divinitatis vinculum: neque, quamvis superstitiosae essent opiniones singulae, superstitio erat huius rationis aliorum deorum habitae fons. Etenim in omni deo, qualis eo, cuius sentiendi cogitandique ratio patet e scriptis, aevo colebatur, inerat, si quid video, aliquid, quod ad veram pertineret naturam divinam. Atqui cum insitum sit omni homini cognoscendarum rerum divinarum studium, inde orta est fabulosa theologia omnis, quod eum sibi fingebant deum, quem cernere, quem audire, quem sensibus percipere possent, dummodo luce, quam plerumque hominibus inviderent dii, illustrarentur sensus. Singulas igitur virtutes, quibus carere nequit is, quem venerentur homines, deus, e consideratis humanis moribus iis, qui quodam modo respondent divinis, interpretati magis magisque in humanam distrahunt imbecillitatem, nusquam tamen originis divinae omnino obliti et semper in deo hominis simillimo veram quandam divinam eamque certam et definitam venerantes virtutem. Ita omnes veterum cerimoniae, quibus placantur dii, pariter ac theologia fabulosa nituntur fundamento veritatis, quae nusquam profertur nisi ornata colore poetico: neque depravaverunt igitur theologiam poetae, sed exornaverunt ea ratione, qua praetermissa omnino nihil de rebus divinis neque sentire neque cogitare poterant eorum populares, quam obscurius secuti sunt sacerdotes et vulgus, clarius perceperunt et in suum usum verterunt ipsi. Itaque si summum, ubi interpretanda est fabula, interpretationis testimonium in eo, quo ab

ipso poeta eam perceptam videmus, sensu reperero, id non temere factum iudicabitur, dummodo ne errorem errorisve causam quem commisisset poeta demonstraveris.

M A R S.

Sacrificium, de quo diximus, deae Diae celebratum vidimus, carmine invocatum Martem. Dea Dia frugibus prospicit, arvalis propterea Mars esse visus est. Mirum sane, quod obliti omnino arvalis huius dei sunt poetae, qui nonnisi ferum Martem bellicum videntur novisse. Adde quod cum tripudio deum invocant fratres arvales, quo haud dubie aptius est bellicum deum celebrare quam arvalem. Praesertim cum huic, quem θοόν, ἀρτίπον dicunt Graeci, saltationem, in qua moventur, quod est signum belli, ancilia, exhibeant Salii: dicto propterea Salisubsulo 73), sicuti idem appellari solet Gradivus. Etenim, si fides Servio 74), Mars, cum

73) Catull. c. 17, 6: „in quo vel Salisubsuli sacra suscipiantur." Pacuvius in Armorum Iudicio: „pro imperio si Salisubsulus nostro excubet." Cf. Naekii Progr. Prael. Bonn. MDCCCXXIII—XXIV, p. VII.

74) Serv. Virg. Aen. I, 296, ubi ipsis illis verbis adduntur haec: „Denique in urbe duo eius templa sunt: unum Quirini intra urbem, quasi custodis et tranquilli: aliud in Appia via extra urbem prope portam, quasi bellatoris vel Gradivi." Eadem ib. VI, 859. Apte, qui plerumque in his rebus non magni faciendus est, Silius Pun. IV, 460: „Gradivum passibus aequat." Intra urbem ante Augustum nullum omnino Martis templum, nisi Quirini in Quirinali monte, quo indicatur placatus, ut pro impetu faciendo custodiam ageret, Martis fervor. Scilicet cum inesset in Martis nepotibus eorumque urbe divinus ille, quo hostes perderet Gradivus, fervor, eliminari omnino ex urbe non debebat eius, a quo repetendus esset, dei templum.

saevit, Gradivus dicitur, cum tranquillus est, Quirinus. Quod quin de gradiendo in bellum recte explicetur vocabulum, dubitare nequeo, si tum illa reputo cognomina, tum eum, quo de militibus gradus conferri, inferri, stare in gradu dicitur, nulla, quae de pugna moneat, voce addita, usum. At minus fortasse de natura numinis cogitabatur in illo tripudio: siquidem etiam in pompa, quae in procurando prodigio ducebatur Iunoni Reginae, virgines per manus reste data sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt 75). Crederem, nisi adesset nostrae cerimoniae etiam triumphalis clamor bello proprius. Nunc omnia nos delegant ad eum Martem, quem iuvat clamor galeaeque leves et acer cruentum in hostem vultus. Neque ad alium possunt referri, quae carmine ipso precantur. Nihil nisi ut coerceat luem, ut desinat furere, ut desistat a verberando, ut intret aedem.

Neque vero sublata erit omnis de hac religione dubitatio, usque dum reliqua quae de arvali Marte proferri solent testimonia accurate exegerimus. E quibus non est, quod sit gravius loco Catonis 76). Apud quem in lustrando agro cum circumaguntur sollitaurilia, sic dicitur: „Mars pater, te precor quaesoque, uti sies vo-

---

75) Liv. XXVII, 37.

76) Cat. R. R. 141. Morbos, qui hominibus et frugibus noceant, deprecantur in lustrando fundo rustici apud Festum: „Pesestas inter alia, quae inter precationem dicunt, cum fundus lustratur, significare videtur pestilentiam, ut intelligi ex ceteris possit, cum dicitur, avertas morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem." Ubi quae inter morbos interiecta est nebula significat idem, quod apud Catonem intemperies.

lens propitius mihi domo familiaeque nostrae', quoius rei ergo agrum terram fundumque meum suovetaurilia circumagi iussi: uti tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis defendas averruncesque: utique tu fruges, frumenta, vineta virgultaque grandire beneque evenire siris: pastores pecuaque salva servassis duisque bonam salutem valetudinemque mihi domo familiaeque nostrae. Harumce rerum ergo fundi terrae agrique mei lustrandi lustrique faciendi ergo, sicuti dixi, macte hisce suovetaurilibus lactentibus immolandis esto. Mars pater eiusdem rei ergo macte hisce suovetaurilibus lactentibus esto." Vides invocari Martem ut prohibeat, ut bene evenire sinat, ut salutem largiatur. Minime ut afferat ea, quibus opus est ut bene eveniant fruges, minime ut oblimet molliatve agros, ut turgidum faciat emittatve semen, ut in articulos ducat, nutriat, adultas maturasve reddat segetes 77): nihil quod ab eo, qui habitet vel in ipso arvo vel in ipsis frugibus, exspectari possit genio, sed ut averruncet pestem quamque extrinsecus immissam. Ut averruncet, peti potest ab omni deo, petitur etiam a Cerere et Tellure; cuius vero est po-

77) Velut Tellurem Cereremque („haec praebet causam frugibus, illa locum") precatur Ovidius Fast. I, 675: „consortes operum, per quas correcta vetustas Quernaque glans victa est utiliore cibo, Frugibus immensis avidos satiate colonos. . . . Vos date perpetuos teneris sementibus auctus, Nec nova per gelidas herba sit usta nives. Cum serimus, coelum ventis aperite serenis, Cum latet, aetheria spargite semen aqua." Turbae, quas abominantur rustici, praeter bella et intemperiem potissimum sunt damna ab animalibus illata: Colum. R. R. II, 21, 1; X, 351. Pallad. VII, 7, 9.

testas alendi et augendi, ab eo solum id, ut averruncet, in sollemni sacrificio nemo precabitur. Imo abs quo nonnisi hoc precantur, ei malarum potius quam bonarum rerum potestatem tribuunt. Ita in Robigalibus exeunte Aprili celebratis flamen Quirinalis, ne irae indulgeret Robiginis numen, pompam sollemnem in lucum eius duxit canem et ovem immolaturus, deamque precatus est, ne segetes sed ferrum contereret [78]. In quibus eadem qua Mars apud Catonem apud Ovidium Robigo formula invocatur: Tu sata sideribus coeli nutrita secundis crescere sinas [79]. Quin singula etiam nonnulla, quae deprecantur rustici, damna immitti a Marte aliunde novimus. Viduertatem et vastitudinem quid est quod bello atrocius inferat, quid quod frugum, vinetorum, virgultorum eventum infelicius praepediat? Quippe quod potissimum gereretur eo, ut ferro et igni terra vastaretur [80]. Pecori vero et pastoribus nihil timetur

78) Ovid. Fast. IV, 906, 917. Varr. L. L. VI, 16. — Video nunc dubitare de Robiginis numine, qui docte et ingeniose de Romanorum rebus sacris scripsit, Hartungium (Rom. Rel II, p. 148) idque propterea, quod Caniculae Robigalia celebrata esse tradiderit Festus (cf. not. 86). At eo, quo celebrantur Robigalia, mense nondum orta est Canicula. Et omnino nego, ullum a Varrone iisque, qui Varronis aetate vivebant, fingi potuisse numen e solo sollemnium nomine, quoniam dubitari nequit, quin litteris antiquitus mandatae essent quae inter sacrificium proferebantur preces, neque his deesse poterat verum numinis vocabulum. Quod, quin alii Robigum, Robiginem alii colerent, non impediebat.

79) Ib. 914. Sidera secunda et bonus eventus, grandire siris et crescere sinas sibi respondent.

80) Monstrum, quod secum trahere cum exercitu progrediens in somnio sibi videtur Hannibal, Vastitas Italiae quacunque incedit „omnia arbusta, virgulta, tecta pervertit". Cic. Divin. I, 24, 49.

magis quam lupi, Martii hi quoque [81]). Quod novum ex his precibus discimus, id est, quod morbos etiam, calamitates et intemperias coeli prohibet pariter et immittit Mars. Quibus commune cum hostium ferarumve impetu est nonnisi id, quod noxiae hae omnes sunt rustico turbae. Hanc boni eventus perturbationem, quae modo e bellis, modo e morbis, modo e calamitate, modo ex impetu ferarum oriatur, ne inferat Mars, metuunt homines, abominantur rustici apud Catonem pariter ac fratres arvales.

Turbae in rerum naturae ordinem a Marte illatae aliud fortasse in eo positum est testimonium, quod lapis manalis, quem, quoties nimia erat siccitas, per limites in urbem protrahebant pontifices in modum cylindrorum, iacebat extra portam Capenam iuxta aedem Martis [82]). Nimia enim siccitas, quae per se est perturbatio commodi rerum ordinis, non poterat non repeti a deorum ira. Cuius signum sibi videbantur reperire in rubro extorum in sacrificiis colore [83]): rubrum vero

---

81) Prop. IV, 1, 55. Virg. Aen. IX, 566: „agnum Martius a stabulis rapuit lupus." Hor. Carm. I, 17, 9: „Martiales lupi." Cf. not. 91. Lupus militare signum Plin. H. N. X, 4. Serv. Virg. Aen. I, 277; II, 355: „Bene belli negotium lupo comparavit, qui est in tutela Martis dei bellici."

82) Serv. V. A. III, 175: „lapis manalis, quem trahebant pontifices, quoties siccitas erat." Varro apud Fulgent. p. 547. (Merc.) „manalis lapis in pontificalibus sacris, qui tunc movetur, cum pluviae exoptantur." Festus: „Manalem etiam lapidem vocabant petram quandam, quae erat extra portam Capenam iuxta aedem Martis, quam cum propter nimiam siccitatem in urbem protraherent, insequebatur pluvia statim: eumque, quod aquas manaret, manalem lapidem dixere."

83) Fulgent. p. 559: „Labeo, qui disciplinas Etruscas Tagetis et

colorem esse commodum Marti, inde cognoscitur, quod minio illinebantur eorum, qui triumphabantur, corpora [84]), et quod Martium dicebant, ut Ciceronis utar verbis, rutilum horribilemque terris stellae fulgorem [85]).

Bacidis quindecim voluminibus explanavit, ita scribit: Fibrae iocinoris sandaracei coloris dum fuerint, manales tunc vertere opus est petras, hoc est quas antiqui solebant in modum cylindrorum per limites trahere pro pluviae immutanda inopia." Cf. Müller. Etrusc. II, p. 340.

84) Plin. Hist. Nat. XXXIII, 7, 36: „Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse Iovis Ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam triumphantumque corpora. Sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta coenae triumphalis et a censoribus in primis Iovem miniandum locari." Serv. Virg. Ecl. VI, 22, ubi Sileno Aegle Sanguineis frontem moris et tempora pingit: „Multi ob hoc dictum putant, quod rubeus color deorum sit, unde et triumphantes facie miniata et in Capitolio Iupiter in quadriga miniata." Serv. V. Ecl. X, 27: „Facie rubra pingitur Pan propter aetheris similitudinem: aether autem est Iupiter: unde etiam triumphantes habent omnia Iovis insignia, sceptrum, palmatam, (unde ait Iuvenalis: in tunica Iovis); faciem quoque de rubrica illinunt instar coloris aetherei." Scilicet non ab aethere repetenda est rubra deorum facies, sed inde quod ruber hic color est ferroris, qui cum omnium deorum sit communis, Marti potissimum est proprius. Cf. Isid. Hisp. Orig. XVIII, 2, 6: „triumphantes colore rufo perlinebantur, quasi imitarentur *divini ignis* effigiem."

85) Somn. Scip. 4. „Fera Martis sidera" Ovid. Ib. 215. Praeterea „russeum equum Marti consecraverunt" Tertull. de Spectac. 9. „Russeos Marti, a quo Romani exoriuntur et quia vexilla Romanorum cocco decorantur, sive quod Mars gaudeat sanguine" Isidor. Hisp. Orig. XVIII, 41, 2. „Alii album et russeum vexilla tradunt et russeum bellorum, album comitiorum signum fuisse" Serv. V. A. VIII, 1. Cf. Veget. III, 5. „Russata veste sub consulibus Romani usi sunt milites, unde etiam russati dicebantur" Isid. XIX, 21, 10.

Eodem siccitatis colore insignis est canis immolatus [86]), ne nimis ferveat ardor aestatis, Caniculae.

Haec tamen sunt obscuriora: certius et magis perspicuum id, quod in Martis naturam confertur omnis feritas. Immani et incompositae quae est in densis asperisque silvis feritati, de qua Lucretius: „ad satiatem terra ferarum Nunc etiam scatit et trepido terrore repleta est Per nemora ac monteis magnos silvasque profundas [87])," praeest Mars Silvanus, cui, ut valerent boves, votum in silva interdius fiebat in singula boum capita: quam rem divinam vel servo vel libero facere licebat, modo ne adesset ad eam mulier neve videret quo modo fieret [88]). Scilicet ut ad cohibendas in silvis feras permoveretur Mars Silvanus, opus erat peracto a viris sacrificio, cum virilibus officiis aptus esset Gradivus [89]), sicut contra erant, quae nemo ignorat, femineae deae nulli retecta viro sacra [90]). In illis silvarum tenebris habitant Martia animalia lupi picique [91]), a

86) Fest. Rutilae canes.

87) Lucret. V, 39. Cf. Virg. Aen. I, 169: „Horrenti atrum nemus imminet umbra." Lucan. Phars. III, 411: „Arboribus suus horror inest."

88) Cat. R. R. 83.

89) Ov. Fast. III, 169. Ab Herculis sacris prohibitae mulieres Prop. IV, 9, 69. Macrob. Sat. I, 12.

90) Prop. IV, 9, 26. Ov. Fast. V, 153. Art. Am III, 637. Plut. Caes. 9.

91) De lupis vide not. 81. Cic. Divin. I, 12, 20: „hic silvestris erat Romani nominis altrix Martia quae parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat." Picus rex (equum domitor Virg. Aen. VII, 189 ut ipse Mars) cuius regia in summa fuit urbe, „tectum augustum ingens, Horrendum silvis" (ib. 170) in venando perductus artibus Circes, „Plurima

quibus nutrita esse fertur Martia proles Romulus et Remus 92), geniti ex Silvia, educti silvestri ex ubere reges 93). Ipse deus, qui omne a silvis nomen traxit, Silvanus, quaequae sunt silvarum propria in suam recepit naturam. Martis Silvani simile est munus Silvani id, quo praeest ingenti illi luco prope Caeritis amnem, quem undique colles Inclusere cavi et nigra nemus abiete cingunt 94), inculto gaudens termite 95), dumetis horridis 96), luporum exactor et fulguritarum arborum 97), infestus puerperis, prohibitus iis, quae sunt humanae culturae signa, quae aversatur ferum eius nu-

---

qua silva est et equo loco pervia non sunt, ... silva pedes errat in alta," deinde forma mutata „pennas in corpore vidit Seque novam subito Latiis accedere silvis Indignatus avem duro fera robora rostro Figit et iratus longis dat vulnera ramis" Ovid. Met. XIV, 361, 364, 390. Et Plut. Qu. Rom. c. 21: *ἔτι καὶ νῦν τοῖς ὑπωρείοις καὶ δρυμώδεσι τόποις ὅπου φαίνεται δρυοκολάπτης, ἐκεῖ καὶ λύκος, ὡς Νιγίδιος ἱστορεῖ . . . καὶ τοῦτον Ἄρεος ἱερὸν νομίζουσι τὸν ὄρνιν· καὶ γὰρ εὐθαρσὴς καὶ γαῦρός ἐστι καὶ τὸ ῥύγχος οὕτως ἔχει κραταιὸν ὥστε δρῦς ἀνατρέπειν ὅταν κόπτων πρὸς τὴν ἐντεριώνην ἐξίκηται.* Nonius II, p. 152: „Picus Marti sacer, quia bellica habebatur avis, siquidem picorum nomine designabantur etiam *γρῦπες*. Plautus Aulul. (IV, 8, 1): Pici divitiis qui aureos montes colunt Ego solus supero." Martius picus Serv. Virg. Aen. VII, 189. Fest. Romae. Plin. H. N. XXV, 10.

92) Ovid. Fast. III, 37, 53.

93) Prop. III, 9, 51.

94) Virg. Aen. VIII, 597. Quod ipsum eum, cui dicatus esset hic lucus, Silvanum arvorum pecorisque deum dixit poeta, id recte se habet: idem enim est deus, licet alio munere silvis, alio arvis praesit.

95) Gratian. Cyneg. 20.

96) Hor. Carm. III, 29, 23.

97) Lucilius apud Nonium II, p. 110 ex em. Lipsii. Vulgo Malvanus. Exactor qui lupos e silvis exigit et pecori immittit.

men [98]): quo denique per silentium noctis e silva Arsia ingentem edidit vocem, qua uno plus Etruscorum dixit cecidisse in acie, vincere bello Romanum [99]). Quem enim a Pane Graeci, eum a silvestribus numinibus Latini repetebant terrorem [100]): neque dubium videtur, siquidem Silvanus colebatur Mars, quin a Silvano pariter ac Silvano Marte, quantumvis inter se diversis, repetitus esse possit hic terror. Minime vero omnia Silvani ad Martem deferuntur munera: neque, cum arvorum et pecoris deus dicatur Silvanus [101]), quoniam et in agris solent esse luci, quorum numen est Silvanus [102]), et in arvorum formam plurimae rediguntur silvae [103]), pecora vero pascuntur in silvis [104]), usquam lactiferum, glandiferum, pomiferum appellatum invenies Martem. Martium contra ferrum Silvano invi-

98) Varro apud August. Civ. Dei VI, 9, 2. Et ipse Augustinus: „deo aspero, horrendo, inculto, utpote silvestri." Cf. not. 198.

99) Liv. II, 7.

100) A Fauno Dionys. Ant. Rom. V, 16.

101) Virg. Aen. VIII, 601. cf. not. 94.

102) Orell. Inscr. 1613: „rura te colamus praeside: Ego iam dicabo mille magnas arbores". Cf. Dissen Tibull. I, 10, 51. Prop. IV, 4, 5: „Lucus . . . Silvani ramosa domus." Lucan. Phars. III, 402: „nemorumque potentes Silvani." Silva Priapi pro luco Catull. c. 18, 2.

103) Colum. II, 2, 8. Cf. Hor. Ep. II, 2, 186. Minatur propterea arvis semper ferum Silvani numen, cum, nisi aderit cultura, quae ferro vertat terram, „nisi et assiduus terram sectabere rastris, Intereunt segetes, subit aspera (herbarum) silva," Virg. Georg. I, 152.

104) Virg. Georg. III, 219, 314: „pascuntur silvas." Cf. 143, 323 et Lexica s. v. saltus. Orell. Inscr. 1614: „Silvano sancto patri et custodi pecudifero, lactifero, glandifero, pomifero, cannabifero, linifero."

sum, quoniam ferro caeduntur arbores [105]). Mars fervidus iuvenis [106]), Silvanus senex [107]).

Neque vero silvarum magis quam camporum feritas delata ad Martem. Ferus ager incultus, si fides Festo [108]). Campestrem, qui in tribus reperitur tabulis, Martem minime arvalem sed de campo ubi pugna commissa dictum demonstrant in alia Minervae, Herculis et Eponae equorum deae cum eo communio et dedicata a centurione tabula [109]), in alia factorum pro salute imperatoris et pro equitibus, quos singularios dicebant, a legionario campidoctore sacrorum mentio [110]). Scilicet omnis gramine, quod odit cultus ager [111]), obsitus campus habetur Marti commodus. Gramineus propterea celeber ille campus Martius [112]):

105) Varro apud Aug. Civ. Dei VI, 9, 2. Martium ferrum vide Ovid. Fast. V, 575.

106) In bello contra Lucanos Romanis opem fert „eximiae magnitudinis iuvenis," „in congressu flagranti scalas vehens visus formidandae vastitudinis armatus" quem postea Martem agnoscunt, Valer. Max. I, 8, 6. Amm. Marc. XXIV, 4. Cf. Ovid. Remed. Am. 153: „Sanguinei iuvenilia munera Martis."

107) Virg. Georg. II, 494.

108) Festus s. v. ferus. Ferum Martem vide not. 127.

109) Orell. Inscr. 1355. Cf. 1356. Et Virg. Aen. XI, 602: „campique armis sublimibus ardent."

110) Orell. Inscr. 3496. Alia campestribus diis dicata a tribuno militum tabula Gruter. Inscr. 1015, 2.

111) Ovid. Ep. Pont. IV, 14, 13; quia „sterilis est herba," Ovid. Amor. III, 7, 31.

112) Ovid. Fast. III, 519; VI, 237. Trist. V, 1, 32. Hor. Carm. III, 7, 26: „flectere equum (Martium animal, cf. not. 122 sqq.) in gramine Martio." et IV, 1, 39. In gramineo campo circum (cuius arena Martia, cf. not. 117) determinat Aeneas, Virg. Aen. V, 287. De cespite milites affabatur imperator: cf. Lips. Tac.

qui quod frugibus consitus erat a Tarquinio Superbo, nefas habebatur, et cum omnia regis bona agenda ferendaque populo concederent consules, frumenti quidquid ex hoc petitum erat, non permiserunt ut auferretur, sed proiici iusserunt in Tiberim [113]. Omnem tollit dubitationem clarissimus Servii locus, ubi quae apud Virgilium commemorantur paratae ab utroque exercitu, Rutulis et Troianis, diis communibus arae gramineae inde repetuntur: „quia et de bello res agitur et Marti sacrificatur, cui gramen est consecratum: quod secundum Plinium in naturali historia ex humano cruore procreatur [114]." Inhaerere fervoris, turbarum,

---

Ann. I, 18. Monendum videtur etiam de graminea corona obsidionali, quae „in re militari est maximae honorationis," Fest. Gradivus. Obsidionalis. Gell. V, 6. Plin. XXII, 5. Qui herbam dat, victum se fatetur: Fest. Herbam do. Plin. ib. Serv. Virg. Aen. VIII, 128. In corona tamen et herba fortasse terrae et soli, non Martis, ratio habita.

113) Liv. II, 5. Dion. Hal. Ant. Rom. V, 13: τοῦτο (τὸ πεδίον) Ἄρεος ὑπάρχειν ἱερὸν οἱ πρότερον ἐψηφίσαντο, ἵπποις τε λειμῶνα καὶ νέοις ἀσκοῦσι τὰς ἐνοπλίους μελέτας γυμνάσιον ἐπιτηδειότατον· ὅτι δὲ καὶ πρὸ τούτου ἱερὸν ἦν τοῦ θεοῦ τοῦδε, Ταρκύνιος δὲ σφετερισάμενος ἔσπειρεν αὐτὸ, μέγιστον δὴ ἡγοῦμαι τούτου τεκμήριον εἶναι τὸ πραχθὲν ὑπὸ τῶν ὑπάτων τότε περὶ τοὺς ἐν αὐτῷ καρπούς. ἅπαντα γὰρ ἐπιτρέψαντες τῷ δήμῳ τὰ τῶν τυράννων cett. Comitia centuriata in campo Martio habita, quoniam ad haec convocabatur exercitus urbanus, et ad eas quae bello aptae essent leges instituebantur omnia: Varr. L. L. VI, 93. Gell. XV, 27 (ex Laelio Felice): „Centuriata comitia intra promoerium fieri nefas esse; quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperari ius non sit: propterea centuriata in campo Martio habe[illegible]."

114) Serv. V. A. XII, 119. Qui haec e Servio exscripsit, Mythographus Vaticanus III, 11, 10 (ed. Bod. p. 234) addit: „Unde et Ro-

pugnarum vim in nomine tantopere, ut iudiciali etiam liti praesit Mars forensis [115]), nemo est qui ignoret.

mani moris fuerat, cum de re bellica ageretur et Marti sacrificaretur, aras constituere gramineas." Sanguis a Marte repetitus Serv. V. Aen. III, 34.

115) Ovid. Fast. IV, 188. Ep. Pont. IV, 6, 29. — Qui, quod nunc video, hunc usum a vero Romanorum sermone alienum et universum a Graecis repetitum existimat, Hartungius (Rom. Relig. II, 155, 156) cum Pallade potius quam cum eo, quem Ἄρη dicebant Graeci, deo comparandum censet Romanorum Martem, quippe qui armis potius quam bello praesit. Non propter arma bellis, sed propter bella armis praeesse Martem, ego demonstravisse mihi videor. Quod vero id, quod hasta Praeneste Martis simulacrum fuerit, pro sua re facere opinatur vir doctissimus, facili hoc argumentum subverti potest negotio. Neque enim in eo, quem profert, Livii loco (XXIV, 10) revera Martis simulacrum sed Martis hasta fuisse dicitur hasta, quam sponte promotam, id quod belli omen erat, refert scriptor: et dubitari omnino nequit, quin omnis ille movendarum Martis hastarum ritus nonnisi ad bellicum deum relegandus sit. „Nam is qui belli susceperat curam, sacrarium Martis ingressus primo ancilia commovebat, post hastam simulacri ipsius, dicens: Mars vigila." Serv. Virg. Aen. VIII, 3. Vigilat igitur Mars, cum exoritur bellum. Hasta bellum significari, auctor est etiam Festus s. v. Hastam: „Nam et Carthaginenses cum bellum vellent, Romam hastam miserunt et Romani fortes viros saepe hasta donarunt." Quae licet pura, sine ferro esse deberet, tamen „apud maiores praemium erat eius, qui tunc primum vicisset in proelio: sicut ait Varro in libris de gente Pop. Rom." Serv. V. A. VI, 760. Etiam in vendendis publice rebus belli signum est hasta. Itaque si Romae Martis simulacrum antiquissimo tempore fuit hasta, bellicum eius significabatur munus. Quod praeter eum belli numen est Bellona, id quod miratur Hartungius (II, 155), eius rei ratio est eadem quae additarum Apollini, qui apud Hesiodum citharae non magis quam poesi prospicit, Musarum. Quamquam minime nego, latius, quam apud Graecos, apud Romanos pertinuisse Martis auctoritatem: et multa apud hos ab eo esse repetita quae ab aliis diis apud illos. Summam vero divinam virtutem utrinsque eandem fuisse contendo. Et sunt inter eos, quorum maxima in nostro aevo est in

Satis comprobavisse mihi videor, in re rustica Romanos a Marte nonnisi feritatem repetivisse, itaque ubi pro maturescentibus frugibus fierent preces, nonnisi turbas quas vel immitteret vel placatus coerceret exspectavisse. Praeter tripudium vero et triumphalem clamorem est alia, quae de bellico Marte cogitare nos iubeat, in sollemnibus deae Diae res. Adiacet luco aedive circus, in quo conditus focus, qui graminco [116] ornatus erat cespite, ut hic pariter ac totus locus ea, quae a Marte repetebatur, re insignis sit. Circi enim et ipsa arena Martia [117]: circus omnis pro agro, qui bello obnoxius esset, habitus: propterea in hunc quae bellum indiceret hasta ciecta [118]: emissae in eundem vulpes

his rebus auctoritas, qui facilius haud dubie Martem, quam Ἄρη, inde ab antiquissimo tempore bellicum deum fuisse concessuri sint.

116) Cf. not. 56. Tab. XLI, a, l. 19. Serv. V. A. XII, 119: „Romani enim moris fuerat cespitem arae superponere et ita sacrificare."

117) Ovid. Trist. II, 282. Martial. II, 75, 8. Monerem de Martia qua circus maximus situs sit valle (Symmach. Epist. X, 22.) nisi scribendum videretur Murtia vel Murcia, quod Claud. Laud. Stilich. II, 404 restituerunt editores.

118) Ab area templi Bellonae prospicitur in circum Flaminium: „hinc solet hasta manu belli praenuntia mitti, In regem et gentes cum placet arma capi." Ovid. Fast. VI, 205. Cf. Fest. Bellona. Serv. Virg. Aen. IX, 53: „Cum Pyrrhi tempore adversum transmarinum hostem bellum Romani gesturi essent nec invenirent locum, ubi hanc sollemnitatem per fetiales indicendi belli (hasta post clarigationem in hostilem agrum missa) celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in circo Flaminio locum emere, ut quasi *in hostili loco* ius belli indicendi implerent: denique in eo loco ante pedes Bellonae consecrata est columna." Patet fuisse religionem facere hostilem locum in agro Romano ullum praeter circum, qui per se Marti Bellonaeve obnoxius esset. Altera enim

comburendae taedis ad terga alligatis in memoriam combustarum a vulpe, ad quam alligavisset taedam puer, frugum, illatae agro eius, quae a Marte circi praestite repetebatur, vastitudinis, idque per circenses ludos Cereri habitos [119]). Equestres ludi circenses deae Diae in iis, de quibus agimus, festis diebus peraguntur pariter atque in Aprili mense Cereri. Et distinguitur tamen e diversa numinum natura inter scenicos et circenses ludos, alteros his diis aptos, illis alteros. Martem e ludis soli decent circenses [120]), Gradivo Marti Equiria habita [121]), equus, qui nunc per apertos volans, ceu liber habenis, campos vix summa vestigia poneret

---

circi pars huic, altera Herculi dicata, Ovid. Fast. VI, 209. Et omnis hic circus in Martio campo situs.

119) Ovid. Fast. IV, 391: „Circus erit pompa celeber numeroque deorum Primaque ventosis palma petetur equis. Hi Cereris ludi: non est opus indice causa: Sponte deae munua promeritumque patent." Celebrantur igitur hi ludi Cereri ob donatas fruges et in ipsis memoria vastatarum frugum in loco, qui ferua iacet: ib. 680: „Carcere partitos circus habebit equos. Cur igitur missae vinctis ardentia taedis Terga ferant vulpes, causa docenda mihi." Et v. 711: „utque luat poenas gens haec, Cerealibus ardet, Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit."

120) „Sollemni ludos circo celebrate Quirites: Non visa est fortem scena decere deum," Ovid. Fast. V, 598.

121) Varro L. L. VI, 13: „Equiria ab equorum cursu: eo die enim ludis currunt in Martio campo." Festus: „Equiria ludi quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur." Ovid. Fast. II, 857—861: „Marsque suos iunctis curribus urget equos: Ex vero positum permansit Equiria nomen: Quae deus in campo prospicit ipse suo. Iure venis, Gradive." Festus: „Martialis campus in Coelio monte dicitur, quod in eo Equiria solebant fieri, si quando aquae Tiberis campum Martium occupassent." Ovid. Fast. III, 517. Tertull. de Spectac. 5.

arena, nunc in gramine late tonderet campum, bellicosum animal omnino habebatur apud Romanos [122]), propterea Marti dilectus [123]), Marti sacer [124]). Circen-

122) Virg. Georg. III, 83: „si qua sonum procul arma dedere (ut Martium aes canorem Ib. IV, 71), Stare loco nescit, micat auribus et tremit artus" cett. Ovid. Met. XIV, 320: „Picus (cf. not. 91) utilium bello studiosus equorum." Ut bos arator, ita „equus bellator" Ovid. Fast. II, 12; I, 698; Met. XV, 368. Virg. Aen. X, 891; XI, 89. Prop. IV, 4, 14. Tacit. Germ. 14. Equus belli omen Virg. Aen. III, 537 et I, 444, ubi inspicias Servium et Donatum. Propterea Dialem flaminem, cui abstinendum erat ab omni Martia re, ut ne videre quidem ei liceret armatum exercitum, equo vehi religio erat: cf. Gell. N. A. X, 15. Plut. Qu. Rom. 39. Fest. Equo vehi. Procincta classis. Serv. Virg. Aen. VIII, 552: „Martiali et Quirinali equo sine religione vehi licuit." Parum igitur sufficit, quam profert Festus, ratio, factum hoc esse, ne, si longius digrederetur, sacra negligerentur: proficisci enim longius ne Martiali quidem licebat flamini: cf. Val. Max. I, 1, 2. Sed quod disturbaret et disperderet videbatur inesse in equis numen: cf. Plin. H. N. XXVIII, 40: „damnatur fel equinum inter venena: ideo flamini sacrorum equum tangere non licet, cum Romae publicis sacris equus etiam immoletur." „Nocens virus equarum" vide Ovid. Am. I, 8, 8. Medic. fac. 38. Domesticum Martem qui Romae primus intulit, eques Celer erat. Cf. Festum: „Celeres antiqui dixerunt, quos nos equites dicimus a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo eis propositus erat." Equus militare signum Plin. H. N. X, 4.

123) „Equus Marti immolabatur, quod eo genere animalis Mars delectari putabatur." Fest.

124) „Sanguineus Mavors clipeo increpat atque furentes Bella movens immittit equos," Virg. Aen. XII, 332. Cf. Sil. Pun. XI, 399. Ovid. Fast. II, 858: „Marsque *suos* urget equos" (not. 121). „Martis equis" evectus ad superos Quirinus, Hor. Carm. III, 3, 16. Ovid. Met. XIV, 820. „Martis equi biiuges" Virg. Georg. III, 91. Cf. Sil. Pun. IV, 430, 472. Festus: „October equus in campo Martio mense Octobri hostiae loco immolatus quotannis Marti, bigarum victricum dexterior, cuius cauda tanta celeritate perlata in regiam, ut ex ea sanguis destillaret

ses igitur si in honorem Cereris, Florae, deae Diae instituuntur ludi, sacra his deabus fiunt ea, quae Marti magis quam ipsis sint apta: siquidem Cereri, quae pace laetatur, parva, sint modo casta, placent, ut sufficiat dare farra deae micaeque salientis honorem et grana turea [125]): Floram, quae non est de tetricis, non est de professis magna, decet scena levis, indigna Marte [126]): dea Dia, cum praesit frugibus, non potest non amare prae omnibus pacem. Qui tandem fit, ut Martius in has conferatur honor? Quia iste, qui proprius est Marti, fervor omnino non posse abesse a divina natura videbatur veteribus, ut participes eius essent omnes dii deaeque, licet id, quod summum esset in eorum natura, esset diversissimum. Siquidem in homine etiam

---

in focum participandae rei divinae gratia." Idem: „Panibus redimibant caput equi immolati Idibus Octobribus in campo Martio, quia sacrificium fiebat ob frugum eventum, et equus potius quam bos immolabatur, quod hic bos frugibus pariendis aptus." Scilicet ut averterentur bella et omnes turbae a frugibus, bellicum immolabatur animal deo turbido in agro fero, insigne Cerealibus donis, ut communicaretur cum his rei divinae usus. Idem de festo die Idibus Decembribus peracto traditur Plut. Qu. Rom. c. 96: *θυμοειδὲς καὶ πολεμικὸν καὶ Ἀρήϊον ὁ ἵππος ἐστί.* Cf. locum Plinii not. 122. Apud Graecos Martis liberi Alcippe, Melanippus (Apollod. III, 14, 2. Paus. I, 21, 4; VII, 22, 8), Diomedes Thracius, cuius equi humana vescuntur carne (Apollod. II, 5, 8), et Oenomaus, cuius equi omnium velocissimi, pater Hippodamiae (Paus. V, 1, 6; 22, 6), postea *ταράξιππος* (Paus. VI, 20, 17), cuius axem Mavortium dicit Statius Theb. I, 274. Balteum Mars donavit Hippolytae (Apollod. II, 5, 9).

125) Ovid. Fast. IV, 409. Cf. Hor. Carm. III, 23.

126) Ovid. Fast. V, 347, 351; 598. Pacem a Cerere dilectam vide decantatam Ovid. Fast. I, 704; IV, 407, 927; Tibull. I, 10, 49.

quovis cuiusvis aliquod vestigium inest virtutis, cum hic tamen altera, altera ille insignis sit. Fervorem vero hunc, quin ferocitatem, pro vitio habere minime poterant Romani homines, superbi, quod innatam sibi sciebant bellicam virtutem priscam, gloriantes de ferocis Romae, ferocis Latii nomine [127]). Communis igitur omnibus, quae licet paci faveant, numinibus est Martius iste fervor, ut magnis, si negliguntur, poenis solvatur iniuria et iustum praetereat ira modum [128]). Imo etiamsi nolint nocere neque crudelia in ira sint, modo ut desinat eorum avertendae noxae cura, perturbantur quibuscunque prospicere solent rebus. Ita cum tristis esset Flora a Romanis neglecta, florentibus oleis nocebant venti, seges laesa grandine, imbribus vites [129]). Cereris iram clamant, quaequae de Eleusiniis scripta. A dea Dia exspectandum esse idem, per se patet. Sed adest testimonium. Cuivis ex opinione Romanorum deae pariter ac mulieri notum est fuisse suam Iunonem. Summa Iunonis virtus maiestas. Singulae igitur Iunones, sicuti maiestatis, quae deorum est propria, aliquid non regibus solum et magistratibus, sed parentibus etiam, quin pueris virginibusque tribuitur [130]), integrum et liberum

---

127) Hor. Carm. III, 3, 44; I, 35, 10. Cf. Epist. II, 1, 156. Carm. II, 1, 25. Porcius Licinius apud Gell. N. A. XVII, 21: „in Romuli gentem feram." Ovid. Fast. III, 85: „Mars (ferus IV, 25. Heroid. VII, 160. cf. Trist. V, 7, 17) Latio venerandus erat, quia praesidet armis: Arma ferae genti remque decusque dabant." Cf. ib. 103. Met. XIV, 450. Virg. Aen. IV, 229; V, 730; IX, 603, 609, 613; X, 83. Georg. III, 346.

128) Verba Ovidii Fast. V, 303.

129) Ovid. Fast. V, 321, 325.

130) Ovid. Fast. V, 43, 50.

unicuique feminae sive mortali sive immortali servant honorem suum, cuius nemo, cui non ex suo ipsa arbitrio concesserit, reddatur particeps. Spontis, arbitrii, honoris conservatrici deae non potest esse mens non difficilis, dura, aspera [131]), quin, ubi offensa est, iniqua et saeva [132]). Haec dea immitis dum post Minervam a Iove genitam invidia et indignatione abrepta, si fides fabulae, aspernatur genialem mariti lectum, nullo amore mollita concepit. Concepit ex efflorescente sua ipsius natura (hoc enim Florae in gignendo Marte officium) [133]): inde peperit ferum deum fervidum, qui in omnibus exsultat compositi rerum ordinis turbis. Scilicet uti indignatio saevam parit iram, ita saevum Martem indignata Iuno. Simile aliquid metuendum ab indignatione Iunonis deae Diae. Vide iam in celebratis deae Diae sollitaurilibus

131) „Aspera Iuno," Prop. IV, 9, 71. Virg. Aen. I, 283.

132) Virg. Aen. I, 4; II, 612. Iniqua ib. VIII, 292. Ita Mars saevus VII, 608; XI, 153.

133) Apud Ovidium Fast. V, 229 Flora: „Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes." Ib. 239 Iuno: „si pater est factus neglecto coniugis usu Iupiter et nomen solus utrumqne tenet, Cur ego desperem fieri sine coniuge mater?" ib. 251 Flora: „Quod petis, Oleniis, inquam, mihi missus ab arvis Flos dabit: est hortis unicus ille meis. Qui dabat, hoc dixit, sterilem quoque tange iuvencam, Mater erit: tetigi, nec mora, mater erat. Protinus haerentem decerpsi pollice florem, Tangitur et tacto concipit illa sinu. Iamque gravis Thracen et laeva Propontidos intrat, fitque potens voti Marsque creatus erat." Olenia arva sedes ubertatis, Oleniae nomen caprae inditum nutrici Iovis Amaltheae, quae ut tanto fungeretur officio, debebat esse uberrima (cf. Plin. H. N. XXVIII, 33): inde ab Amalthea pariter atque ab Acheloo, cui adiacent Olenia arva, repetitum cornu copiae, Ovid. Met. IX, 88. Apollod. Bibl. II, 7, 5. Iniit interpretationis viam sed non expedivit rem qui Gierigianae Fastorum Ovidii editioni indicem addidit, p. 537.

maioribus, ubi post immolatas huic ipsi vaccas ovilli sacrificii exordium fit a Iano, proximum ab Iove locum tenere Martem, excipi vero eum a Iunone deae Diae [134]). Videlicet parum placata, cui in quovis numine prospicit eius Iuno, maiestate metuendum semper est, ne neglectam, cui ut opem ferat invocatur, rem proiiciat turbis, quas inferat fera deorum ira [135]): Implorato igitur, postquam ex omnium sacrorum more exordium factum est a Iano, per quem pateret ad deos aditus [136]), auxilio, quo nemo carere potest, Iovis, statim sacrum fit Marti, ut placetur ira, deinde Iunoni, ut placetur maiestas numinis. Itaque cum caveatur omni sacrificio maiori, ne avertens se a commercio humano maiestas divina denuo pariat fervidam deorum iram: in omni sollemni sacro tum eae, quae Iunoni, tum eae, quae Marti sunt acceptissimae, praeferuntur cerimoniae. Maiestati placebis taciturnitate, alacritate fervori. Per pompam illa exhibita, haec per ludos. Sed cum neque id, cuius summa virtus est maiestas, divinum numen deficiat fervor, neque fervidum maiestas: deae Diae, cuius propria quidem est utraque, fervore altius inhaeret maiestas. Laeditur enim ipsa, indignatur ipsa: atqui dum fervet indignatione, ulciscitur non ipsa sed ulturum excitat numen aliud. Vides cur, quae in his rebus placatur Iuno, non sit Regina Iuno, sed Iuno

134) Tab. XXXII.

135) „Saevi Iovis ira" Ovid. Fast. III, 190. „ferus Iupiter" Virg. Aen. II, 326. Similia permulta alia.

136) Ovid. Fast. I, 171. Cic. Nat. Deor. II, 27. Simile apud Graecos munus est Mercurio: Aesch. Choeph. 115, ubi vide Comm.

deae Diae; quem abominantur homines, Mars non deae Diae, qui nullus est, sed ipse Mars. Hic propterea appellatus in deprecatione: in ipso sacrificio et in ipsis ludis nonnisi dea Dia: pompa vero ad Iunonium, ludi ad Martium modum peracti: ita enim appellare licet utrumque, etsi in Iunonis sacris Martius, in Martis Iunonius deesse nequit, ut sint ab omni parte perfecta [137]. Videtur tamen et ipsa deae Diae Iuno, licet diserte non appellata, in sacrificio esse placata, siquidem dearum signa [138], quae uuxisse in aede dicuntur sacerdotes, recte de ipsa dea Dia et de Iunone eius interpretatus est Marinius [139]. Quod mihi probatur propterea, quod in urbe dea, in luco deae esse unctae dicuntur, ut per unam idem, quod per utramque, videatur designatum: modo illud in minori, hoc in maiori sacro peractum.

Ne Robigalibus quidem desunt ludi: in via Claudia ad milliarium quintum, ne robigo frumentis noceret, sacrificium et ludos cursoribus maioribus minoribusque factos esse a. d. VII. Kal. Maias tradit Kalendarium Praenestinum [140]. In iisdem contra canis et ovis immolata a flamine in luco [141].

---

137) „Nerio" (quae est Martis uxor) „Martis vis et potentia: et maiestas quaedam esse Martis demonstratur" Gell. N. A. XIII, 22.

138) „Signisque unctis" Tab. XXXII, l. 28; XXXV, l. 11; XXXVI, l. 5. „Deas unguentaverunt" XLI, l. 31. „Deam unguentaverunt" XL, 12, 14. „Deam Diam ungu." XLI, 7.

139) Obss. p. 395.

140) Orell. Inscr. II, p. 388.

141) Cf. not. 50.

DEA DIA.

Cerimoniis sollemnium deae Diae celebratorum id factum voluisse veteres vidimus, ut Iunoniae pariter ac Martiae numinis huius voluntati satisfieret. Summa vero eius virtus neque haec est neque illa, sed Cerealis: frumentorum enim primitiae sacerdotibus eius libandae sunt, consecrandae, quae haece anni tempestate in humanum usum converti coeperunt, universae fruges. In medium vel exeuntem Maium haec sollemnia semper indicunt fratres arvales. Neque temere factum esse hoc, discimus e rustico Kalendario Farnesiano, ubi negotiorum quae sint mensis Maii primum recensetur: segetes runcantur, ultimum: segetes lustrantur [142]. Lustrantur Ambarvalibus, libantur nostris sollemnibus primitiae. Quorum utrorumque hoc est tempus, quoniam inde a medio Maio post depositum qui est octo dierum, quibus non tangi debent a cultore, florem per quadraginta dies grandescunt frumenta usque ad maturitatis eventum [143]. Variat vero tempus, cum nunc ante quartum decimum, nunc ante quartum diem Kal. Iunias summum fiat sacrificium. Quod, si quid video, pendebat a tempore Sementivorum. Haec etiam non stata, sed post peractam sementem celebrata mense

---

142) Orell. Inscr. II, p. 380. Et omnino sanctissimo more in mense Maio lustratur res publica, Plut. Qu. Rom. c. 85. Differt quidem ab ipsa lustratione libatio et consecratio (not. 65 sqq.), sed eodem peraguntur tempore.

143) Verba Pallad. Re Rust. VI, 1.

Ianuario [144]). Idem fere, quod inter indictos et celebratos hos festos dies, intercedit tempus inter Agonia Iani celebrata V. Id. Ianuarias et inter Agonia Iunii peracta mense Maio [145]). Observavi aliud in consideranda temporis ratione, quod nescio an non sit fortuitum. Iisdem, quibus celebrari solent deae Diae sollemnia, diebus exit, ut Ovidii verbis utar, canis Erigoneius [146]). Cuius ortus cum imbres et tempestates significaret [147]), exitus liberavisse metu, ne solis aestu perderentur udae fruges, videtur: praeteriit id, quo plurimum a robigine periculi exspectabatur, quod luem, cui ut finis imponatur, precantur fratres, secum ferre solebat, tempus. Quiescere igitur nunc cum solerent tempestatis turbae, restabat unum, quod terribilissimum fieri facile poterat, periculum, ne bellum immitteret bellorum deus, quo irrita fierent omnia, quae iuvisset dea Dia. Placanda igitur omni religione haec ipsa, ut nunc potissimum tueretur, quae in humanum converti modo coeperant usum, fruges: abominandus vero Mars, quod per eas fiebat cerimonias quae huic essent acceptissimae. Et cum id, quod optabatur ab agricolis, positum esset in

144) „Utque dies incerta sacro, sic tempora certa, Seminibus iactis est ubi fetus ager." Ovid. Fast. I, 661. Cf. Varr. R. R. I, 2, 1. L. L. VI, 26: „Sementinae feriae dies is, qui a pontificibus dictus." Cf. Colum. XI, 2, 90: „si non plurimum serimus, optimum est intra Kalendas Decembres sementem confecisse." Fest. Sementinae. Conceptivae. Macrob. Sat. I, 16, init.

145) Ovid. Fast. I, 317. Kal. Praenest. Orell. Inscr. II, p. 382. Ov. Fast. V, 721.

146) Ovid. Fast. V, 723.

147) Ov. Fast. IV, 904: „Signaque dant imbres exoriturque canis." Propterea tum temporis celebrata Robiginis sollemnia.

ea, qua cederet deae Diac Mars placatus, deorum concordia [148]), causa haec videtur fuisse, ut indiceretur deae Diae sacrificium in pronao Concordiae. Ubi nonnisi vel in huius rei gratiam [149]) conveniunt fratres, vel ut novum cooptent collegam, vel ut nominentur magister et flamen [150]): in quibus quid sibi velit concordiae numen, fugit neminem. Neque enim temere sumtum esse cerimoniarum locum, ostendunt facta in Opis aede vota pro restitutione et dedicatione Capitolii [151]) et facta ante Iunonis Reginae cellam vota pro salute imperatoris [152]).

Nonne vero videtur probabile, pro cognomine potius quam pro nomine habendum esse vocabulum Diae? Videtur sane, modo ne nova addere cogar iis, qui partim hanc partim illam deam designatam hoc nomine contenderunt. Cum enim per omnes quatuor saeculorum tabulas solo hoc nomine insignis, neque in antiquioribus,

---

148) Similem, quae pacem hominibus allatura sit, concordiam Martis et Veneris exhibet Lucretius, ubi Venerem alloquitur, I, 31: „Nam tu sola potes tranquilla pace iuvare Mortaleis, quoniam belli fera moenera Mavors Armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se Reiicit, ... suaves ex ore loquelas Funde, petens placidam Romanis, incluta, pacem." Hae, quas nunc poetico more profert poeta, preces si institutis sacrificiis religioso more a diis exigendae fuissent, comparandum hoc erat ita, ut celebrarentur festi dies Veneri iis, quae huic potissimum placerent, cerimoniis, sed in iisdem suo more placaretur et in amplexum Veneris advocaretur Mars. Ceterum amoris inter hunc deamque Diam exorti nullum est vestigium.

149) Tab. XXII; XXIV, A; XXXII.

150) Tab. XXII; XXIV, B. Obscura sunt quae referuntur Tab. X et Tab. XXXIII.

151) Tab. XXIII.

152) Tab. XXXVIII, XLIV, XLVI.

e quibus nulla, quae de ea aliquid prodant, exstant monumenta, quidquam in his cerimoniis fuisse diversum probabile sit, ipsi fortasse sacerdotes, ad quamnam dearum, quae sunt inter consentes, sive Opem sive Cererem, referendum esset, dubitaverunt: velut quodnam Bonae deae nomine designatum esset numen, iam inter Romanos dissentiebatur. Talis enim dubitatio ab ea, qua ipsa ignoratur deorum natura, sacrae doctrinae perturbatione toto coelo distat. Id vero noverant, esse ei munus frugibus ita prospiciendi, ut remotis, quas terra coelumve afferret, turbis per pacem aptumque rerum ordinem [153]) ad maturitatem eas sub sereno coelo perduceret humanoque usui largiretur. Tale numen proxime abest a Cerere [154]): quin igitur eadem quae illi huic subsit divina virtus, non est quod magnopere dubitemus. Quae virtus posita in almitie [155]), in ea, qua humano opere res, quae suae sunt potestatis, tractari

---

153) Pacem cum omnino diligat et probet dea Dia, nescio an non fortuitum sit, quod ab omni bellica re abhorret etiam Dialis flaminis munus: cf. not. 122. Serenum, cuius notio in Dio vocabulo inest, coelum cum humana pace antiquitus comparatum.

154) Cf. Marinium Obss. p. 11.

155) „Alma Ceres" Ov. Met. V, 572. Fast. IV, 547. „Bona" ib. 412. „Mitis" Met. IX, 422. Cf. not. 162. Am. III, 10, 5: „Te dea munificam gentes ubicunque loquuntur, Nec minus humanis invidet ulla bonis." „Cereris sumus omnia munus" Ovid. Met. V, 343. Iunoni propterea prorsus opposita Ceres apud Graecos pariter ac Romanos, Serv. V. A. IV, 58: „Cum Eleusine Cereri sacrum fit, Iunonis aedes clauditur: item cum Iunoni Eleusine fit, templum Cereris clauditur, nec sacerdoti Iunonis licet gustare unde Cereri sit libatum. Et Romae cum Cereris sacra fiunt, observatur, ne quis patrem aut filiam nominet, quod fructus matrimonii per liberos constet." Cf. ib. III, 139.

patitur, quin tractatas auget et ornat divinum numen, comitate. Itaque a Cerere cum ad meliora vocati alimenta fruges acceperint, a Cerere quotannis satientur homines [156]), ipsiusque [157]) proprium Cereris sit spiceum, quo insignes sunt arvales fratres, sertum, proprius eiusdem deae color, qui est albarum quibus ornantur infularum [158]): Cereales sunt festorum dierum principales, quibus libantur et consecrantur fruges, cerimoniae: Cereale id [159]), quod immolatur pro deae Diae luco, porcularum sacrificium.

Ipsum igitur sacrificium incipit ab expiando per mactatas deae porculas eo, quo collucandus est lucus, sacra res, officio: honoratur deinde oblata vacca, quam dicunt honorariam, circus: denique veneratio per insignem silentio pompam et immolatam agnam opimam exhibita: primum illud e Cereali, quae humanum patitur opus, secundum e Martia, quae poscit honorem, tertium ex Iunonia, quae imperat venerationem, religione. Insequuntur cerimoniae sacerdotum: in quibus venerationem, quae deorum maiestati debetur, exhibet silentio insignis pompa: fiduciam, qua comem deorum opem expetunt, frugum consecratio: honorem, quem alacris in deos confert observantia, tripudium. Respondent denique, quas in sollemnibus partes agit populus:

156) Ovid. Fast. I, 677; IV, 401.

157) Ovid. Fast. IV, 616. Amor. III, 10, 36.

158) Gell. N. A. VI, 7. „Cuius sacerdotii insigne est spicea corona et albae infulae." Tab. XLI, A. Tibull. I, 1, 16. „Alba decent Cererem," Ovid. Fast. IV, 619; V, 355. Alba coenatoria acceperunt fratres, T. XLI, B. lin. 10.

159) Ovid. Fast. I, 349. Met. XV, 112. Varr. R. R. II, 4, 9.

coactae ab eo stipes venerationis signum, communicatae cum eo, quas una cum ollis per clivum eiectis raptim accipit, fruges praemium pietatis cum fiducia exspectatum [160]), exhibiti postremo ludorum honores testimonium fervoris, quo fervidis ipsis placere cupit diis: cum enim parata sibi ipsi victoria honorem adipiscitur, suum ad deos, ad quos evexerat evitata fervidis rotis meta, transfert honorem [161]). Maiores in prima, minores, quippe obstrictos sibi et obnoxios [162]), in secunda, aequales in tertia habitos ab hominibus videmus deos. Quae optime concinunt cum ea, cuius auctor est summus populi aevique nostri poeta, sententia: triplici inniti universam religionem fundamento, ea, quam maioribus, minoribus, aequalibus concedamus, reverentia.

---

160) Ovid. Fast. I, 677: „Frugibus immensis avidos satiate colonos, Ut capiant cultus praemia digna sui."

161) De honore circensi praeter notissimum Horatii locum cf. Ovid. Halieut. 66.

162) Quanta in Cereale numen hominibus fuerit fiducia satis apparet in eo, quod ipsa, cui placent casta (Ovid. Fast. IV, 412), a cuius sacris removendus, cui tulit hesterna gaudia nocte Venus (Tibull. II, 1, 11; Ovid. Amor. III, 10, 2, 15) Ceres, cum victus fuisset amore pudor, succubuisse mortali dicebatur Iasio (Ovid. Am. III, 10, 29. Trist. II, 300). Quae quidem res cum nimis facilem, parum invidum (cf. n. 155) ostenderit deae animum, laesam deorum maiestatem Iunoniam in morem irae Martiae occiso Iasio ulciscitur qui summum omnium arbiter est et vindex Iupiter. Neque crimina dicere hanc, quam cum Iasio habuisset rem, dubitavit Ovidius Amor. III, 10, 24.

SEMONES.

Accedimus ad carmen. Sicut neque in ducenda pompa neque in consecrandis frugibus ullam Martis iniectam esse mentionem satis constat, ita nihil in hoc de dea Dia monetur. Quamvis enim nunc concordes agunt, quamvis non omni eget dea Dia Martio fervore et Iunonia maiestate, non omni Mars Cereali comitate [163]): summa tamen utriusque natura maxime est diversa, ut, ubi acceptissimae alteri tribuendae sunt cerimoniae, alterum commemorare non iuvet. Sed invocantur in carmine Lares, invocantur Semones: illi ante, hi post Martem, ad quem tamen redit adoratio.

Expedita res de Laribus. Sunt rurales [164]), agri custodes, placati agna a Tibullo, ut sua ferrent munera, ut darent messes et bona vina [165]), genii certae cuiusdam ditionis praestites. Addi solebat Lari, canina pelle induto et ipsi, canis simulacrum, quoniam uterque custodit [166]). Ad averruncandas tempestates, calamitates, vastitudinem opus est ut religiose placetur

---

163) Ov. Fast. III, 175. Dictus inde Marspiter Gell. N. A. V, 12. Cat. R. R. 141. „Apud pontifices Mars pater dicitur" Serv. V. A. III, 35. Cf. Ovid. Ep. Pont. I, 9, 23: „placabilis ira deorum est."

164) Nomen vide Orell. Inscr. I, 5, p. 68. Reg. XIV.

165) Tibull. I, 1, 20. Cf. II, 1, 60. Cic. Legg. II, 8: „Lucos in agris habento et Larum sedes." Müller. Etrusc. II, 91. Quibus ab arvalibus fratribus immolantur verveces, T. XXXII.

166) Plut. Qu. Rom. c. 50. Ovid. Fast. V, 133, 136; II, 616. Cf. Plaut. Merc. V, 2, 25: „invoco vos, Lares viales, ut bene me tutetis"

ipsum Martis numen, quod quidem haud invitum a furore desistere scitur ex ipso anni tempore. Desistere, quatenus naturalibus utitur divinus hic fervor rebus. Potest igitur fieri, ut placetur Mars, ut Cerealem concipiat comitatem [167]. Ipsum vero id, quo naturales turbae quiescunt, bellis gerendis commodum est anni tempus. Haec, quae multo illis terribiliora sunt, si sponte non removet Mars, advocandi sunt defensores. Solent Lares a finibus arcere hostes [168]: incipit igitur carmen ab invocata eorum custodia. Atqui cum hostes et tela arcere possint hi, ingrediendae cum Marte, cum magnorum deorum ira pugnae parum sunt idonei. Itaque si permanet in ira Mars, alio opus est praesidio. Quod paratur ope Semonum.

„Semones dici voluerunt deos, quos nec coelo ascriberent ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Epona, Vertumnus, nec terrenos eos deputare vellent pro gratiae veneratione [169].“ Priapi, cuius domesticum Mu-

---

167) Placatum Martem vide not. 148, 163.

168) „Hostiliis Laribus immolabant, quod ab his hostes arceri putabant.“ Festus. „Hannibalemque Lares Romana sede fugantes,“ Prop. III, 2, 11. „Praesunt moenibus urbis . . . . auxiliumque ferunt,“ Ovid. Fast. V, 135. Idem agere domesticos et rurales cognoscitur ex Tibullo I, 10, 25: „nobis aerata Lares depellite tela,“ ubi cf. Dissenium. Adde Orell. Inscr. 1665: „Laribus militaribus;“ 1673: „Lari victori.“ Nihil tamen in Romanis Laribus invenio, quod eam, ut unus eorum habeatur Mars, iis tribuat auctoritatem.

169) Locus Fulgentii Expos. Serm. Ant. p. 561, ubi Varro distinguit Semonem inter et deum: „Semone inferius derelicto deum depennato attollam orationis elogio.“ — Quod etymologiae errore corruptum male intellexisse Semonum naturam Varronem censet Hartungius (Rom. Rel. I, p. 41): monendum est, neque

tuni Tutuni nomen, omne id, quod ipsius, qua insignis est, mentulae est munus [170]. Ut Epona equorum dea [171]), ita boum Bubona ad Semones videtur referenda [172]). Quorum commune est unum, quo satis certo differunt a magno inferioris ordinis deorum numero: quod omnis inest eorum auctoritas et vis in ipsis hominum actionibus. Mutunus tum in nuptiis agit, ubi

---

Varronem neque Fulgentium quidquam in hac re ex etymologia petitum protulisse argumenti. Sed sive bene sive male nominis originem perspexit Varro, cuius exigua in etymologia fides: in rebus eum tam graviter falsum esse ut quae fuissent maxima pro minoribus haberet numina, vix ulli harum rerum perito homini persuadebitur. Non displicet id, quod coniecit Hartungius, a semine et serendo deductum esse vocabulum, sive dictum est, quia inserunt in homines artem et virtutem divinam, sive de tractanda per humanam artem segete. Minus bene quasi fuerint Semidei intelligi Semones mihi quoque persuasum est, quia latius pertinet Semideorum notio. Ad hos referuntur etiam Silvani monticolae (Ovid. Met. I, 192; XIV, 673), qui minime sunt Semones. Quanquam, ubi tutantur hominum agros, Semonum socii. Herculis socius Silvanus Orell. Inscr. 1612; Laris agrestis ib. 1604 (in titulo suspecto). Hic est Silvanus pater et custos Orell. 1613, 1614; invictus 1603; tutor finium Hor. Epod. II, 22. Cum Priapo et Vertumno versatur Silvanus Ovid. Met. XIV, 639.

170) August. Civ. Dei IV, 34: „sine cultu Priapi coniugibus mixti." Cf. not. 177. Sociae Priapi Rumina quae sugendo, Cunina quae cunis, Educa et Potina quae edendo et bibendo praesunt. Cf. Aug. ib. IV, 11, 24. Lactant. I, 20, 36. Arnob. IV, p. 164 (Herald.) Festus: Mutiuus. — Bene de Mutino dixit Hartungius (Rom. Rel. II, p. 257).

171) Oscum vocabulum. Cf. Müller. Etr. I, 17. Sunt, qui de asinis (ἐπ' ὄνοις) nomen repetant, quia apud Apuleium et Minucium asinis potissimum prospicit. Cautius tamen videtur subsisti in Italica voce, praesertim cum bellicorum deorum socia inveniatur Epona, not. 109.

172) August. Civ. Dei IV, 24, 34.

super eius fascinum sedere ante concubitum iubetur nova nupta [173]), tum in tuendis hortis. Fascinum scilicet proprietatis signum, hoc ubi adest, salva domini auctoritas. Epona regendorum et tractandorum equorum numen. Praeter haec vero sunt multa alia dicta ab humanis operibus numina, quae nihil agant, nisi ut singulis his, iis potissimum, quibus tractanda est sacra res, prospiciant [174]). Inveniuntur talia in ipsis arvalium fratrum tabulis. Dico Adolendam, Commolendam, Deferundam, Coinquendam [175]), quae tuentur homines in delendis arboribus sacris de coelo tactis et in collucando luco. Eiusdem ordinis sunt, qui in Cerealibus sacris invocantur a flamine, Cereri et Telluri sacrum faciente, quos enumeravit Fabius Pictor: Vervactor, Reparator, Imporcitor, Insitor, Obarator, Occator, Sarritor, Subruncinator, Messor, Convector, Conditor, Promitor, quibus Satorem et Sterciliniam addidit Varro [176]). Addantur etiam Pilumnus et Picumnus, praesides coniugalibus auspiciis dii [177]), ille

173) August. ib. VI, 9, 3; VII, 24, 2 fin. De hortis vide Priapeia. Sub fascinum ipsas adeo deas subigunt homines, velut Circen Ulixes (cf. quae de Ulixis periculis scripsi p. 36), Medeam Iason, Cererem Iasius, cf. not. 162. Fascinum propterea sanctissimum in Eleusiniis signum, Tertullian. adv. Valent. p. 289; Lobeck. Aglaoph. p. 32.

174) Serv. Virg. Aen. II, 141: „Pontifices dicunt singulis actibus proprios deos praeesse. Hos Varro certos deos appellat."

175) Tab. XXXII, Col. 2. XLIII. Cf. Marini Obss. p. 380. Compara cum his Putam putandarum arborum deam, quam cum Peta, quae petendis rebus praeerat, commemorat Arnobius l. c.

176) Serv. Virg. Georg. I, 21. Alios vide not. 170 et in Rosinii Antiqu. Rom. p. 178 sqq.

177) Nonius p. 518, 528. Pariter ac Priapus (not. 170) et cum eo

pinsendi frumenti, hic stercorandi agri auctor [178]), idem qui Sterquilinius, dictus ille propter inventum pilum, quo confici solebant fruges [179]). Hos ut sine ulla dubitatione pro Semonibus habeam, movent me relatus inter hos Vertumnus, qui suam secum ducet Pomonam, quam Hamadryada Latinam dicit Ovidius [180]), et dictus Semonis vocabulo Sancus, quem eundem Dium Fidium appellare solebant [181]), Curibus oriundus, Sabinorum gentis auctor [182]), his gentibus idem, qui Graecis Hercules [183]).

---

et Venere dea Virginiensis, deus Sublgus, dea mater Prema, dea Pertunda, qua numinum turba impletur cubiculum: August. C. D. VI, 9, 3. Ibidem dii nuptiales Iugatinus, Domiducus, Domitius, Manturna.

178) Serv. Virg. Aen. IX, 4.

179) Serv. Virg. Aen. X, 76.

180) Ovid. Met. XIV, 624. Pomonam cum Mellona, Segetia et Bubona (not. 172) recenset Augustinus (C. D. V, 34).

181) Orell. Inscr. 1860 et 1861: „Semoni Sanco deo Fidio." Festus s. v. Praedia. Ovid. Fast. VI, 213. Liv. VIII, 20.

182) Sil. Ital. VIII, 420: „laeti Sancum voce vocabant Auctorem gentis." August. Civ. Dei XVIII, 19: „Sabini regem suum primum Sangum sive, ut alii appellant, Sancum retulere inter deos." Prope abest ab hoc ipse Romanorum auctor Quirinus. Cf. not. 193.

183) Festus: „Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus." Idem: „Profecturi viam Herculi aut Sanco sacrificabant." Varr. L. L. V, 66: „Aelius Dium Fidium dicebat Diovis filium, ut Graeci Διόσκορον Castorem, et putabat hunc esse Sancum ab Sabina lingua et Herculem a Graeca." Eadem Festus s. v. Medius Fidius, qui addit: „quidem existimant iusiurandum (me Dius fidius) esse per divi fidem." Correpta in fides et Fidius prima syllaba videtur affinitatem testari. Fidius est cui est fides, in cuius fide sunt homines, qui fidem facit hominibus. Addit Fidius auctoritatem iis, quae agunt homines sine eo imbecilli.

Etenim si in maioribus diis in virtute quapiam, quae non potest ei quem tu deum venerari velis non tribui, posita est summa cuiusvis natura: contra in hisce Semonibus id, quod gratiae venerationem exigat, positum in humana virtute deprehendere mihi videor, tanta quidem virtute humana, ut vel deos superare et propter hoc divina dici possit. Quippe cum nulla omnino sine veneratione demissoque animo esse possit religio, qui sensus ea, cui omnes cedant, maiestate ornavit numen Iunonis: sui etiam commodi memor ubivis manet homo, in se etiam inesse aliquid opinatur, quod vel ab invitis commoda haec exigere possit superis. Neve alienam a Romanis, quos religiosos deorum fuisse cultores nemo ignorat, neve propter incertas, quae mythologorum arti solent obiici, argumentandi et demonstrandi leges dubiam in iis esse hanc sive fiduciam sive temeritatem existimet quisquam: exstat in iis, quae de Elicio Iove ferebantur, fabulis id, quo neque clarius neque certius ullum apud aliam invenitur gentem, eius testimonium. Qui Iovem patrem, deorum optimum maximum, invictum triumphatorem, posse a coelesti sede invitum carmine detrahi, posse invitum

---

Eadem vis est Sanci, qui auctoritate sanciat hominum acta, ut stent firma vel contra vim divinam. Propterea hic potissimum Semonis qui inserit in homines divinam auctoritatem (n. 169) nomine insignis. Itaque foedera et pactiones ad Herculis aram fecerunt Romani, quoniam stabiliret *hic res humanas*. — Video nunc Dionysio, (Ant. Rom. II, 49; IV, 58; IX, 60) qui *Δία πίστιον* interpretatus est Dium Fidium, assensum Hartungium (Rom. Rel. II, p. 44). Ego vero non video, quo modo pro substantivo haberi possit, quo semper adiectivo usi sunt Romani, vocabulum. Me Dius Fidius dictum est ut Mehercle, ut Equirine: invocatum id, quod soleret iuvare homines, numen.

ad aperienda, quae prudens caliginosa nocte pressit, cogi opinati sunt, iidem non est dubium quin invictam quandam et divinam ipsi tribuerint humano generi virtutem, cui ne cum diis quidem metuendum esset certamen. Quae temeritas ipsam sane everterat religionem, nisi ab ipsis diis, quibus resisteret hominum vis, repetita esset haec virtus. Quamdiu cohibitam et oppressam ab aliena suam sentiet homo voluntatem, non desinet, quae sese contra divinam voluntatem defendant, sibi fingere numina. Duae vero sunt hominum laudes, roboris et dexteritatis. Quarum apud Graecos antistites sunt Hercules et Prometheus: apud Italos, si quid video, Sancus et Vertumnus. Sed differunt Prometheus et Vertumnus: cum in calliditate illius, in agilitate huius posita sit dexteritas. In agilitate, qua ut omnes assumat formas, ut omnibus fungatur muneribus, apta est artificiosa hominis natura. Haec enim de Vertumno praedicatur, cuius opportuna cunctis sit figuris natura, decori in quamcunque voles vertatur [184]. Humanum certe est, praecipere vertentis anni fructum, quod a Vertumno repetit Propertius [185]. Ab hominibus perfectum id facinus, unde nomen traxisse a nonnullis ferebatur Vertumnus, ut, qui olim per forum Romanum fecerat iter Tiberinus, versus postea tantum soli suis concederet alumnis [186]. Hominum cultura educantur

184) Prop. IV, 2, 21. Ovid. Fast. VI, 409: „conveniens figuris iste diversis deus." Met. XIV, 684: „naturale decoris Munus habet formasque apte fingetur in omnes." Tibull. IV, 2, 14: „mille habet ornatus, mille decenter habet."

185) Prop. IV, 2, 11. Idem est munus Pomonae Ovid. Met. XIV, 625, 628.

186) Prop. IV, 2, 9.

vitis, fruges, educantur et in meliora vertuntur poma: insitor hic solvit pomosa vota corona, Quum prius invito stipite mala tulit [187]). Quaecunque de Vertumno commemorat Propertius reliqua, ad eam, qua formas hominum, quorum diversissima sunt munera, meretricis, togati civis, militis, messoris, vatis, piscatoris, aurigae [188]), aliorum, et ita quidem, ut decora sit quaeque, assumere possit, artem pertinent.

Neque de Sanco, si modo fides Propertio, qui eum optime dixerit de Vertumno, optimus de hoc etiam

187) Prop. ib. Idem de Pomona Ovidius l. c. et de humano cultu Medic. fac. 3: „Cultus humum sterilem Cerealia pendere iussit Munera, mordaces interiere rubi. Cultus et in pomis succos emendat acerbos, Fissaque adoptivas accipit arbor opes." Iu iis quae sequuntur exhibetur, quidnam tectis, solo, velleribus cultu addatur decoris. Insitorem in iis, quae humanis prospiceret negotiis, numinibus enumeravi supra.

188) Eadem vel simillima profert Ovidius Met. XIV, 643 — 656. Omnino in assumendis convertendisque a Vertumno humanis figuris plurimum uterque versatur poeta. De mutandis humanis negotiis et voluntatibus dicit Horatius (Serm. II, 7, 13; ubi cf. schol.): „Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas, Aedibus ex magnis subito se conderet, unde Mundior exiret vix libertinus honeste: Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis." Qui anni fertilitatisque per temporum vices variae deum Vertumnum opinantur viri eximii (enumerati a Müllero Etrusc. II, p. 52 et Dissenio in ed. Tibull. Vol. II, p. 431) minus urgent id, quod plurimum de eo commemoratur. Humanae versatilis naturae deus commercio mercatoribusve iure suo *prospicit*, *id* quod de Vertumno refert quem *ferunt Asconium in* Cic. Verr. I, 59, 154: „Vortumnus autem deus invertendarum rerum est, id est mercaturae." Propterea apud Columellam (R. R. X, 308) mercibus vernis dives Vertumuus abundare iubetur, floribus, quos demetat et calathis condat rusticus horti cultor, quibus Romae apud Vertumni signum divenditis aere onustus hic domum redeat. Cf. Hor. Epist. I, 20, 1. c. schol.

Semone testis erit, dubia res. Hercules cum bubus ex Erythea abactis quando ad Palatinum montem et Velabrum campum venit Cacumque furem interemit, labore defessus siti exhaustus aquam petivit ex fonte in luco Bonae deae, quem adire vetitum viris: et cum aditum denegaret sacerdos, aperta per vim ianua ipsi iam sibi condidit aram maximam, quae nullis pateret puellis, Herculis eximii ne inulta esset sitis [189]). Vides minutum ius divinum, hominis vi mortalis. Scilicet ea est Herculis virtus, ut migret facinoribus suis aeternas, quibus hominum iura et libertatem coercet deorum imperium, leges [190]). Egit hoc bis in ipsa hac fabula, cum cripuit armenta diis, qui defensorem constituerant Geryonem, et cum vim intulit legi, quam dederat Bona dea. Tamen non modo nullam dat poenam, sed agnoscitur quod inest in eo divinum robur, salutatur ipse deus et pie colitur ab Euandro, neque immerito [191]) propter interemtum Cacum. Dubitari nequit, quin domestica in Latio fuerit haec fabula, neque omnino interiit Latinum Herculis nomen: quippe a Garano pastore occisum esse Cacum tradidit Verrius Flaccus [192]). Petitum, ni fallor, hoc vocabulum inde quod gerendis

---

189) Prop. IV, 9, 69.

190) Cf. Ephem. Schol. 1833. II, p. 350. cf. p. 359.

191) Cf. Virg. Aen. VIII, 189.

192) Serv. V. A. VIII, 203: „Sane de Cacó interemto ab Hercule tam Graeci quam Romani consentiunt. Solus Verrius Flaccus dicit Garanum fuisse pastorem magnarum virium, qui Cacum afflixit, omnes autem magnarum virium apud veteres Hercules dictos." Garani nominis origo unde repetatur, non est in Latina lingua stirps nisi vocabulum gerere. A quo quidem ipso

rebus praeerat et in navata rebus ab hominibus opera auctoritatem exercebat Garanus. Graecorum heroes, quibus respondebant ii, qui familiarum proavi habebantur Lares, deorum quidem filii, sed homines tamen erant, Semones humanarum quidem virtutum dii, sed immortalia numina pariter ac Prometheus. Cum vero essent inter hos Lares, qui post mortem diis additi essent et Semones facti, velut publicus urbis Romae Lar erat Romulus, Semo Quirinus, et omnes Semones inter homines omnino versarentur, factum est ut narrarentur de iis fabulae simillimae illis, quos de heroibus ferebant Graeci, sicuti ea, quae de Prometheo perhibebantur, transferri satis apte poterant ad heroem quempiam et partim revera ad Palamedem sunt translata. Iam cum insolens humanum robur summa eius, quem Garanum Latini, Sancum Sabini appellabant, Semonis esset virtus, deinde cum innotescerent iucundissimae

legitima via deducitur nonnisi vel gerinus vel gerivus, quod usurpatum est in Intergerinus (intergerivus). Sed ab eodem formari poterat, quod gerendi causam significaret, gerare. Gerere cum dicitur significatur et cohaerere cum subiecto obiectum, (gerere partum, uterum, arbores, animum, spem, arma, res, bellum, pacem, amicitias, consulatum) et in sensus cadere subiectum (gerere se comem, fortem, ignavum). Qui gerat, efficit ut gerat aliquis, inde granum id quod efficit, ut gerat aliquid vel terra vel planta (Varro R. R. I, 48, 2: „granum a gerendo: id enim seritur uti spica gerat frumentum," in hac re non falsus): gramen id quod ut geratur effectum est, quod e granis edidit terra, gratum quod ut geratur, ut proprium commodumque sentiatur, effectum est. Qui de gerando dicebatur Garanus (sicuti tarmes a terendo, sarmen et sarmentum a serendo) efficiebat, ut gereret, id est ut et suum haberet et aliis ut suum exhiberet, quidquid ageret quispiam, ut operam daret et studium navaret rebus tractandis. De Recarano, quem sunt qui proferant, in epimetro dicam.

Graecorum de Hercule, cuius eadem erat virtus, fabulae, Semonem Garanum cum Hercule heroe diverso sed simillimo permiscuerunt Latini, et cum Semonibus, mox etiam magis Semonibus heroes venerari coeperant. Iure igitur suo Herculem Propertius appellavit Sancum Curibus oriundum [193].

---

193) Prop. IV, 9, 74: „Hunc, quoniam manibus purgatum sanxerat orbem, Sic Sancum Tatiae composuere Cures." Scilicet perlustravit et purgavit a monstris, quae immiserant dii, orbem Sancus pariter atque Hercules, accessivit praeterea, quae ab humano usu removerant dii. Duplici igitur ratione cum iuvisset proficiscendo homines, Sanco sacra faciebant profecturi. Vide not. 183. Cf. Virg. Aen. VI, 802: „Nec vero Alcides tantum telluris obivit, Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi Pacarit nemora et Lernam tremefecerit arcu." Et Catull. c. 55, 23: „sed te iam ferre Herculei labos est;" ubi non dubito quin ferre de afferendo dictum sit, sicut c. 11, 13; 44, 20; 76, 18. De his itineribus dictus celer Hercules, Orell. Inscr. 1536. Ante mixtos Romae Latinos et Sabinos probabile est Garanum fuisse Latinorum, Sancum Sabinorum Semonem. Cuius rei testimonium in eo positum, quod in Quirinali monte quem occupaverant Sabini (Ovid. Fast. VI, 218) versus aedem Quirini (Liv. VIII, 20) situm erat Sanci sacellum, cum quaequae Garano dicata vel de eo relata erant, ara maxima, forum boarium, Caci caedes, in Romana urbe, circa Palatium, Aventinum, Velabrum inveniantur. Cuius rei posita est in ipsis religionibus ratio. Eam enim, quae omnem humanitatis terminum migret veramque divinam, cum antea mortalis fuerit, adipiscatur dignitatem, uni tantum heroi tribuere solet sacra gentis doctrina. Cum vero imperii, quo terrarum orbem suae subiicerent ditioni, ius sibi vindicarent Romani, non poterant non domesticum, qui humanam virtutem in deorum concilium introduceret, deum statuere urbis conditorem Romulum, urbis genium Quirinum. Et sufficiebat, ut satisfieret huic insitae hominibus voluntati, Quirinus. Sed ferebantur in ipsa urbe Roma, quae parum aptae essent tali, qualis esse cogitabatur Quirinus, pastorum de Garano fabulae. Hunc igitur eundem quem Sabinorum Semonem Sancum habebant, eundem quem Graecorum, qui et armentis et bellicis rebus praeerat, Her-

Haec si recte disputavimus, constat, cultum esse in Latio antiquitus rusticum Semonem, qui vixisset inter ho-

culem. En causam, cur eundem, quem Herculem, Martem fuisse dixerit Varro. Martis summa virtus ferum et fervidum divinum robur, humanum Romuli, Sanci, Herculis. Cum vero quidquid inter homines eximium est, quantumvis humana facta esset res, repeteretur a diis, Martis filius habebatur, qui Martio iure gentium dominam nullis coercitam terminis civitatem condidisset Romulus, et Mars pariter ac Romulus ipse Quirini nomine erat insignis. Omnes vero singulorum deorum summae virtutes coniunctae in uno Iove. Quod in Romulo a Marte, in Sanco sive Hercule a Iove repetebatur fervidum robur. Itaque postquam cum Quirino Sancum deum agnoverant Romani, cum summa Martis pariter atque utriusque huius virtus posita esset in robore: Martis proprium habebatur divinum robur, Herculis humanum, Quirini Romanum: diis haec omnia ascripta. Vides quam prope absit a divino robore receptum inter deos humanum. Propterea Virgilius „Salios Herculi dedit, quos tantum Marti dicavit vetustas" (veteres Romani, sed Herculi Tiburtini, id quod latebat Macrobium) . . . . . „quia is deus et apud pontifices idem qui Mars habetur. Et sane ita Menippea Varronis affirmat, quae inscribitur: ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς, in qua cum de Hercule multa loqueretur, eundem esse ac Martem probavit." Macrob. Sat. III, 12. Serv. V. A. VIII, 275: „secundum pontificalem ritum idem est Hercules, qui et Mars." Et ib. 285: „Salii saltabant ritu veteri armati post victoriam Tiburtinorum de Volscis. Sunt autem Salii Martis et Herculis, quoniam Chaldaei stellam Martis Herculem dicunt, quos Varro sequitur, et Tiburtes Salios etiam dicaverant." En rationis, qua egerit Varro, exemplum. Mars pariter atque Hercules deus importunus, alienarum legum impatiens, robustus, uterque Iovis filius: Mars Quirinus appellatur, Hercules Quirini in eodem deorum ordine socius est: Marti Romae, Herculi Tiburte Salii dicati. Quae omnia bene perspexit Varro. Suo igitur egit iure, si naturam utriusque dixit simillimam. Sed praeter accuratam divinarum apud Romanos rerum doctrinam Graecae etiam peritus erat philosophiae quae, quantum fieri poterat, minuere deorum turbam et multitudinem studebat. Quorum cum secutus est morem, ratiocinandi modum migravit. Cum enim simillimi sint Mars et San-

mines, ereptos diis boves eximios humano tradidisset usui, interemisset monstrum regioni, ubi postea sita est urbs Roma, infestum, impune Bonae deae legem migravisset: deinde vero inter deos receptus esset, ut iam ei faveret, quae adhuc fuisset infensa, quae tueretur deorum ius et maiestatem, Iuno aspera [194]). Neque a moribus praeiudicatisque opinionibus Romanorum ficta abhorret haec fabula. Qui gloriabantur ipsi quod per constantiam et virtutem Martis equis Acherontem fugisset invisus Iunoni Quirinus, tantumque eius, postquam passa esset quietis deorum ordinibus eum ascribi, sibi conciliavisset favorem, ut feroci, cui praeesset ille, Romae dextram humanos in usus omne sacrum rapientem concessisset [195]).

Iunonem Herculi infensam nemo ignorat: neque est quod miretur quisquam oppositum Semonem Marti, quem apud Hesiodum vulneret superetque Hercules. Neque Vertumnum, siquidem solet vinci ab iis, quae calliditate et dexteritate excellunt, numinibus, Mars caeco illatus impetu. Quem bis in Iliade propulsat Minerva, vinculis artificiosis in Odyssea vincit Vulcanus. Vinciunt etiam Aloidae. Omitto nunc physicam huius

---

cus, iidem tamen apud Romanos pariter ac Graecos non modo diversi sed adversarii. Doctrina eius utemur, ratiocinationem mittamus.

194) Prop. IV, 9, 71, cf. 43.

195) Hor. Carm. III, 3, 53. Cf. Virg. Aen. IX, 613. Sicut Bonae deae legem Semo Sancus, Vestae legem vitiata virgine contemsit ipse Mars cum gigneret Romulum, Ovid. Amor. III, 4, 39: „urbis, In qua Martigenae non sunt sine crimine nati Romulus Iliades Iliadesque Remus." Et ib. 6, 49: „illa gemens patruique nefas delictaque Martis."

fabulae interpretationem, doctam eam et ingeniosam: tu si eum quem ipse poeta subesse fabulae sensum voluisset respexeris, haud dubie ita narrabis. Bellicus deus, deprehensus, si quid video, in adulterio, quo novercam eorum Eribocam [196] corruperat, oppressus a rusticorum heroibus est et in misera retentus captivitate, usque dum eum liberaret callidus deus. Delectantur Graeci decepto deo fero, importuno, praepropero. Neque dissentiunt Romani. Elusum Minervae amatorem Martem ab Anna Perenna celebrant Idibus Martiis: inde ioci veteres obscenaque verba canuntur, Et iuvat hanc magno verba dedisse deo [197]. Quaerenti, quomodo fieri hoc potuerit in gente, quae patrem veneraretur Martem, respondendum est non magis id, quod e ludicris medii aevi festis peti potest argumentorum, quam id, quod ipsa indicat Martis natura. Ferus est deus, ut Latium ferox: deum pariter ac populum iuvant rixae, quoniam ad suos aptum quivis homo deum sibi fingit mores. Atqui pace opus est agricolae, neque potest hic non male vexari ea, quae est in rerum natura, importunitate, quantumvis ipse quod vicinis importunus sit gentibus glorietur. Precatur igitur pacem ab importuno deo, si irritae sint preces, defensionem parat, si parum valeant vires, defensorem advocat. En quid contra Silvanum, quem loco non uno similem Marti vidimus, paret Romanus homo [198]. „Mulieri

196) Quae, περιχαλλής, miserita adulterum cum Mercurio rem communicat Il. V, 389.

197) Ovid. Fast. III, 696.

198) Indignatum mala, quae portendisset Mars, omina vide ipsum

fetae post partum tres deos Varro commemorat adhiberi, ne Silvanus deus per noctem ingrediatur et vexet, eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis: ut his datis culturae signis deus Silvanus prohibeatur intrare: quia, inquit [199]), neque arbores caeduntur atque putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo: neque fruges coacervantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupati dii: Intercidona a securis intercisione, Pilumnus a pilo, Deverra a scopis: quibus diis custodibus contra vim dei Silvani feta conservatur." Propulsant in his Silvanum tria numina, quae qui fidem Varroni habet vix dubitabit quin recte Semones dixerim. Quorum princeps Pilumnus dictus a pilo, quo pinsuntur frumenta, sicut ex eadem re nomen ceperunt Areani privigni Otus et Ephialtes adversarii Martis. Qui contra Silvanum defendit puerperam, eundem adiuvante Sanco, adiuvante Vertumno, omnibus denique, quicunque humana tueantur negotia, Semonibus, vel ipsum propulsaturum esse Martem non est quidni spernetur.

Exorditur carmen ab invocandis custodibus, quo-

---

antiquae religionis observantissimum Imperatorem Iulianum Amm. Marc. XXIV, 6 fin.: „quibus visis exclamavit indignatus acriter Iulianus Iovemque testatus est, nulla Marti iam sacra facturum." Ita Neptuno post cladem maritimam honorem detraxit et se vel invito deo victoriam adepturum esse exclamavit Octavianus, Sueton. Oct. 16.

199) Varro, cuius haec omnia sunt verba, apud Augustinum Civ. Dei VI, 9. Cf. Serv. V. A. X, 76: „Varro Pilumnum et Picumnum infantium deos esse ait eisque pro puerpera lectum in atrio sterni dum exploretur an utilis sit qui natus est."

rum est cura fida et vigil, valet robur ad arcendos infensos homines, non ad propulsandos deos. Precibus propterea invocatur Mars pater, si forte placari divina quae est eius feritas possit. Quod si minus exauditurus sit, advocant defensores, qui omni ea, qua defendi possit ius humanum a superbo superorum imperio, polleant arte et virtute: Semones culturae, qua gaudeat dea Dia, tutores. Longe tamen abominantur eam, quae necessariam reddat horum praesidium, iram Martis: imo ad supplices denuo se convertunt preces, quibus ipsum, ut illo fungatur praesidio, implorant: quod ut facilius adipiscantur, eum qui iuvet ipsum tollunt clamorem, iis quibus delectatur ipse ludis honorem in deos antistites conferunt. Itaque rudis priscorum hominum sensus eadem in hoc carmine videtur usus esse argumentandi ratione, qua cui non opus est ut precibus utatur, quia sola e diis cognitum habet ubi clausum iaceat Iovis fulmen, per preces primo, per leves deinde minas, per oblatos denique honores et per dulcem facundiam Furiis, ut salutem et felicitatem pro ea, quam solebant, peste terrae suae imprecentur, persuadet Minerva Aeschyli.

EPIMETRUM

ad not. 192.

Pro Garano libelli de origine gentis Romanae scriptor (c. 6 et 8) sex locis intulit Recaranum. Quem librum tanti aestimavit Hartungius, ut non in Caci solum fabula, sed saepius auctorem eum proferret. At sustulerat hominis fidem, qui minime Aurelium Victorem, sed nescio quem, qui in quinto decimo saeculo vixisset, plagulas illas conscripsisse monuit, Niebuhrius (Hist. Rom. I, p. 100, not.). Apertum est, e Servio sumsisse eum omnem fabulam et ipsas Servii locutiones in suum convertisse usum. Huius vero narrationis auctorem simulavit Cassium propterea quia hunc de Euandro dixisse noverat ex ipso Servio (Virg. Georg. I, 10). Minime igitur concedenda fraudatori auctoritas, quae evertat testimonium, quo a nullo scriptore nisi a Verrio alium atque ipsum Herculem Caci interfectorem traditum esse docet qui saepius Cassii verba protulit Servius: maximae potius dubitationi obnoxium Recarani vocabulum. Latine tamen sonat, ut temere removere non audeam. Quippe poterat fieri, licet quo modo factum sit non intelligam, ut casu ad talem scriptorem deferretur nomen vetustum. Neque enim, cum satis multa proferret nomina, finxit ullum, sed ex antiquis omnia petivit libris: siquidem indoctus non erat, qui bene teneret Servium et locos iactaret e Sallustio, Livio, aliis, quorum ficti plurimi, nonnulli veri. Cogitavi propterea, an explicari posset vocabulum: dabo quod probabile mihi visum est; fidem, quod vera repererim, non dabo: neque opus est, non enim pugnabo, si quis nugas dixerit Recaranum omnem.

Praemittam vero, quae videtur esse certior, Caci nominis interpretationem. Quod cum de κάκῳ repeti soleat, mirum est in domestica fabula Latina integrum Graecum vocabulum et maxime ieiunum neque antiquitatis moribus commodum, si de mera malignitate designatur is, quem monstrum atros patris Vulcani ignes ore vomens exhibent poetae. Adde, quod minime maligna est soror Caca, quae prodat Herculi furtum: cui sicut ignem vomit Cacus, pervigili igne pariter ac Vestae sacrificatur in sacello (Serv. Virg. Aen. VIII, 190). Et quod ubique producitur prior syllaba, quam apice designant Graeci (Κᾶκος). Pravam illius etymologiae rationem nunc video etiam ab Hartungio detectam (Rom. Rel. I, p. 319): qui Vulcani liberos Cacum et Cacam a KAEIN repetit. Ingeniose quidem: sed vexat me, quod minime constat, exstitisse in Latina lingua deducta ab hac stirpe vocabula. Etenim quod coquere profert doctus ille vir, id haud dubie idem est quod QUOQUERE, ΠΕΠΕΙΝ, πέσσειν, neque melius cohaeret quae in calere inest radix CAL cum KAI sive KAT. Latinam si quaeris originem, vix ullam invenies nisi vocem cavus. Cuius radix quin eadem fuerit, quae Graecae χάος, non dubito. Ab hac repetita χαίνειν, χανδάνειν, χάζειν, χάσκειν, ab illo cavare et cavere. Quae sibi respondent sicut calvus, calvere, calvare; albus, albere, albare; densus, densere, densare; durus, durere, durare; clarus, clarere, clarare. Graeca et Latina si comparaveris, statuenda erit radix Ca vel XA, cui in adiectivo addita littera v, sicut in iis, quae p. 23 sq. protulit, exemplis. Caci nomen deductum ab ipsa radice, quacum coaluit terminatio icus vel acus. De re monendum est, in habitanda et defendenda spelunca versari omnes Caci res: cf. Virg. Aen. VIII, 193: „hic spelunca fuit vasto submota recessu, Semihominis Caci." Prop. IV, 9, 9: „incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro." Ovid. Fast. I, 551: „Cacus Aventinae timor atque infamia silvae . . . . Proque domo longis spelunca recessibus ingens, Abdita, vix

ipsis inveniende feris." In pugna omnis Caci ars et opera posita est in occludenda, omnis Herculis virtus in aperienda spelunca. Cacum igitur idem quod Cavernanum, Specuanum significare arbitror: gigantem, qui in caverna habitaverit, in cavernam boves raptos abdiderit. Postea cum Graeci, qui male intelligerent Caci vocabulum, fabulae manum admoverent, fictum Euandri nomen, quod nunc singulare interiectum est inter Latinam matrem Carmentam et Latinum filium Palatii auctorem, qui principio Palas (gen. Palatis) videtur appellatus esse. Ipsi vero Euandro in domesticis Latinorum fabulis inditum fuisse existimo nomen Latini, quem eundem esse monuit Niebuhrius (Hist. Rom. I, p. 100, cf. p. 97).

Hactenus, nisi fallor, facile qui mihi assentiantur inveniam. Audacius fortasse videbitur quod nunc prolaturus sum. Legitimam tamen, qua in etymologia utendum est, viam non deseram. Ab ea, unde cavus ducendum est, radice repetivi cavere pariter ac caverna et cavea. Qui cavet, adversus accedentem rem quampiam cavum se servat. Prima igitur huius vocabuli vis est obnoxia sensibus res, cum vulgari usu semper dicatur translata. Ab eadem radice deducuntur alia per alias terminationes vocabula, cassus (Hand. Hor. Tursell. II, p. 6) et carere. Qui caret, cavum in aliqua re se sentit. Neque deest testimonium. Inde quod cavae sunt, dictae carina (modo infima pars navis, minime sola trabs infima, modo conchae testa, modo nucis putamen) et carex (cum cavo cognata sicut Schilfrohr et Röhre). Restat carus (dictum pro ca-arus, sicut ab avendo av-arus). Quod inde ab Augusti aevo scribi solebat charus, quo in memoriam revocantur χάος et χαίνειν. Neque obstat sensus. Qui tibi carus est, efficit ut careas, ut cavum, cassum, vacuum, nisi adest ipse, te sentias. Itaque si erat verbum recarare, eius vis erat haec: efficere ut denuo cavum se sentiat, quod cavum fuit. Reputa nunc Aventini, in quo erat Caci caverna, montis nomen. Cuius veram originem non quaero: id vero pa-

tet, potuisse optime repeti ab avendo; optime cogitari fabulam, quae avidum cavernae numen faceret Aventinum Caeum, qui palantia in Palatio sibi opposito armenta ad sese detraxisset raptisque cavernam implevisset. Haec qui percepit et primam vocabuli carus vim perspexit, eum, qui cavam vacuamque denuo reddidisset cavernam ipsumque eius numen ut denuo bubus carens se sentiret effecisset, iure suo appellare poterat armentorum pastorem Recaranum. Ludebantur fortasse in his fabulis etiam alia. Potitii e lege, quam tulit Garanus, potiuntur extis, carent Pinarii. Patent sacra viris, carent iis mulieres. Decima, regibus olim oblata, nunc porrecta Garano. Caram igitur, quippe quae sui desiderium moveret, rem fecit Recaranus, qua cum potirentur alteri carerent alteri. Sed vereor ne nimis multa iam dixerim de re, quae nulla, nisi externa vocabuli specie, nititur auctoritate.

TABULAE.

Typis excudi iussi ea, quae maximae nobis sunt auctoritatis, monumenta: narrata sollitaurilia in Tab. XXXII et universa deae Diae sollemnia T. XLI. Utraque non integra, sed nonnisi media T. XXXII, quae universa tribus apud Marinium descripta est paginis, et dimidia T. XLI, data est ab Orellio Inscr. I, p. 389.

TABULA XXXII.

Col. I, lin. 21: L TVTILIO PONTIANO GENTIANO COS
VI ID·FEBRVAR
IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG OPERIS
INCHVANDI CAVSA QVOD
IN FASTIGIO AEDIS DEAE DIAE FICVS INNATA ESSET ERV
ENDAM ET AEDEM REFICI
ENDAM IMMOLAVIT SVOVETAVRILIBVS MAIORIBVS
ITEM AD AEDEM DEAE
DIAE BOVES FEMINAS II· IANO PATRI ARIETES II· IOVI
BERBECES II· ALTILANEOS

Col. II, lin. 1:
MARTI ARIETES ALTILANEOS II·IVNONI DEAE DIAE OVES
II· SIVE DEO SIVAE DEAE OVES II
VIRGINIBVS DIVIS OVES II·FAMVLIS DIVIS VERBECES
DVOS LARIBVS VERBECES DVOS
MATRI LARVM OVES DVAS SIVE DEO SIVE DEAE IN CV
IVS TVTELA HIC LVCVS LOCVSVE
ESTOVESIIFONTIVERBECESII·FLORAEOVESII·VESTAE
OVESII·VESTAEMATRIOVESII·ITEM

ADOLENDAECONMOLANDAEDEFERVNDAEOVESII·ITEM
ANTECAESAREVMDIVISNXVIVERBEC
IMMOLAVIT N·XVI M HERENNIO SECVNDO M EGNATIO
POSTVMO COS III ID MAI
IN LVCO DEAE DIAE Q LICINIVS NEPOS MAG OPERIS PER
FECTI CAVSA QVOD ARBORIS
ERVENDAE ET AEDIS REFECTAE IMMOLAVIT SVOVE
TAVRILIBVS MAIORIBVS ITEM AD AEDEM
DEAE DIAE BOVES FEMINAS II IANO PATRI ARIETES
II IOVI VERBECES II· ALTILANEOS MARTI
ARIET·ALTILAN·II IVNONI DEAE DIAE OVES DVAS SIVE
DEO SIVE DEAE OVES II· VIRGINIBVS
DIVIS OVES II· FAMVLIS DIVIS VERBECES IIS II· LARI
BVS VERBECES II MATRI LARVM OVES II
SIVE DEO SIVE DEAE IN CVIVS TVTELA HIC LVCVS
LOCVSVE EST OVES II FONTI VERBECES II
FLORAEOVESIIVESTAEOVESIIVESTAEMATRIOVESII
ITEMADOLENDAECOMMOLENDAEDE
FERVNDAE OVES II ITEM ANTE CAESAREVM DIVIS N̄·XVI
VERBECES IMMOLAVIT XVI

Sequitur narratum deae Diae sollemne.

TABULA XLI, A.

Inclinatis litteris excusa partim Marinii supplementa caute hic illic mutata, partim emendationes. In notis addita, quae scripta sunt in tabulis. Ubi nihil monitum, in his L pro I positum. Carmen ex his ad litteras exscriptum.

. . . . *immolavit*
*suove*TAVRILIBVSMAIORIBVS·DEAE·DIAE *b[oves] f[eminas]* N̄·II
*Iano patri ar[ietes] II· Iovi berb[eces] II· alt[ilaneos] Marti ar[ietes] II· Iunoni de*AEDIAEOVESN̄·II·SIVEDEOSIVEDEAE·OV·N̄·II·

virg. div. ov. II fam. div. verb. II Lar. II verb. matri LAR·OVES·II·FONTI·VERBECES·N̄·II·FLORAE·OVES·N̄·II·
Vest. ov. II. Vestae matr. ov. II· Adol. Comm. Def. OVES·N̄·II· ITEM·ANTECAESARAEVMDIVIS·N̄XX·VERBEC·N̄XX·
*Isdem cos. collegium fratr. arval. fe*CIT·SIMILITER·Q·S*·f*E·PERE*un*DEM·AVITIANVMPROMAGISTR
Isdem cos. VI.K. Iun. in Palatio in DIVOR·PERALFENIVMAVITIANVM·PROMAG·FRATR·ARV·PRIMA
luce ture et vino fecerunt et FRVG·ARID·ET·VIRID·CONTIGER·ET·PANESLAVREATOSETDEAMDIAM·
unguentaverunt et . . . . CL·CATHEDRISCONSEDER·*p*RAETEXTATI·ETIBIPRAETEXTASDEPOSVERVNT
*adf[uerunt] Alfenius Avitianus prom*AG·CATIL·SEVERVS·STATIL·SILIANVSSVLPIC·POLL*i*O·FL·ARCHELAVS·ARMENIVS
Peregrinus . . . . S·FL·ALPINVS ITEMPOSTMERID·ABALNEOCATHEDRISCONSEDERVNT·DEINDE
*manibus lautis coe*NATORIAALBASVMSER·ET·INTRICLINIARIB·DISCVBVER·ETEPVLATI·SVNT·ITEMPVER*i*·
*ingenui pa*TRIMI·ET·MATRIMI·SENATOR·FILI·N̄·IIII· INCATHEDRISCONSEDERVNTET·EPVLATISVNT·
*fratr[es] ar*VALES*p*OSTEPVLA*s*SVPERTORALIBVSSEGMENTATISDISCVBVER· ET· T· V· F· ET· PERPVEROSPRAETEXT·
*senato*RVM·FILIOSET·PVBLIC· A*d*ARAM·PERTVL·ETVNGVENTETCORONASACCEPERVNT·*e*T·INMANTELIS
*frum*ENTARSCONTIGERVNT·ITEM·MENSASECVNDA·BELLARIOR·D*i*VISAESTET·SPORTVLASACCEPERSACERDOTES
IMP·AVGET·CETERI·SACERDOTESQS·S·S·ET·ROSA·SOLVTAD*i*VISER·IB*i*QVEFELIC·DIXER· ITEM·IIII·KAL·IVNIA*s*
INLVCODEAEDIAE·ALFENIVS·AV*i*TIANVS·PROMAG·AD

ARAM·IMMOL·PORCIL·PIACVL·*II*·LVCI·COINQ·ET
OPERIS
FACIVND·IBI·VACC·HONOR·IMM·ET·INDEINTETRASTYLO
REVERS·SVBSELLISCONSED·DEINDEREVERSVSAD
ARAM
EXTA*s*RE*d*DIDIT·PORCILLAR·ITEM·INCIRCOINFOCVLO·
ARG·CESPITIORNATO·EXTAMVACC·REDD·ETINTE
TRASTYLO
REVERSVSEST·ETINCODICECAVIT·ETPRAETEXTAMDE
PO*s*VITETINPAP*i*LIONESVOREVERSVSPROMERIDIE·
AVTEM
FRATRESARVALESPRAETEXTASACCEPERETINTETRA
STYLOCONVENERV*nt*ETSVBSELLISCONSEDERVNT
ETCA*v*ERVNT
SEADFVISSEETSACRVMFECISSEETPORCILIASPIACV
LARESEPVLATISVNTET·SANGVEMPOSTEAINDE
PRAETEXTATI
CAPITEVELATO·VITT*i*SSPICEISCORONATILVCVMAD
SCENDERVNTETPERALFENVMAV*i*T*i*ANVMPRO
MAG·AGNAM
OPIMAM·IMMETHOSTIAELITATIONEMINSPEXERPER
FECTOSACRIF*ici*OOMNESTVREET·VINOFECERVNT·
DEINDE
REVERSIINAEDEMINMENSASACRVMFECERVNTOIIISET·
ANTEAEDEM*i*NCESPITEPROMAGETFLAMSACR·FE
CER
ITEMFORASADARAMREVERSITHESAVROSDEDERVNTI
TEMFLAM·ETPROMAG·SCYFOSARG·CVMSVMPVIS
VINOREPLETISANTEOST*i*VMACERRASTVREETVINOFE
CERETANTEOST*i*VMRESTITERV*n*TDVOADFRVGES
PETENDAS
CVMPVBLICOSDESCIDERVNTETREVERSIDEXTRADEDE
RVNT·LAEVARECEPERVNT·DEINDEA*d*ALTERV
TRVMSIBIREDD
ETPVBLICFRVGTRADIDERDEINDEINAEDEMINTRAVER

ETOLLASPRECATISVNT·ETOST*i*ISAPERTISPERCLI
VVMIAC

VERVNTDEINDESVBSELLISMARMOREISCONSEDETPA
NESLAVREAT·PERPVBLIC·PARTITISVNTIB*i*OMN*i*VM
E*d*VLIA

CVMRAPINISACCEPERVNTETDEASVNGVENTAVERVNT
ETAED*e*SCLVSAEOMNESFORISEX*i*ERVNT·IBISACER
DOTES

CLVSISVCCINCTILIBELLIS·ACCEPTISCARMENDESCIN
DENTESTRIPODAVERVNTINVERBAHAECENOSLA
SESIVVATE

ENOSLASES IVVATEENOS LASES IVVATENEVELV
AERVEMARMASINS IN·CVRREREIN PLEORESNEVE
LVERVE MARMAR

*si*NSINCVRREREINPLEORISNEVELVERVEMARMAR·SERS
INCVRREREINPLEORIS SATVR· EVRERE MARSLI
MEN

*sal*ESTA BERBER SATVR·FVFERE MARS LIMEN SALLSTA
BERBER· SATVR· FVFERE MARS LIMENSALISIA
BERBER

*sem*VNISALTERNEI ADVOCAPIT CONCTOS SEMVNIS AL
TERNEI ADVOCAPIT CONCTOS SIMVNISALTERNEI
ADVOCAPIT

*conct*OSENOSMARMORIVVATOENOSMARMORIVVATO
ENOS MARMOR·IVVATO TRIVMPETRIVMPETRI-
VMPETRIVM

*petriu*MPE POST TRIPODATIONEM DEINDE SIGNODATO
PVBLICI·INTROIER·ET LIBELLOS RECEPERVNT

Lin. 5. Tabula: Q. S. E. E. Sensus: quod supra factum est. — Tab. EODEM. Lin. 6. Initium festorum deae Diae dierum. Lin. 8. Tab. TRAE. Lin. 8. Tab. POLLCO. Lin. 12. Marinius CATHEDIVS. Sed id quod in tabulis est litterarum RI signum, simillimum interdum est litteris IV, id quod ostendit tabulae effigies iuxta Marinii Praef. p. XLI, ubi lin. 3 (totius tabulae lin. 34) scriptum vi-

detur PLEOIVS, et lin. 6 (lin. 37) TIVVMPE. Lin. 12. Tab. TOSTEPVLAP. — Sensus: et ture (et) vino fecerunt. Lin. 14. Tab. AFARAM. — Tab. FT. Lin. 15. Sensus: frumenta rursus. Lin. 16. Sensus: Imperatoris Augusti, ceteri sacerdotes, qui supra scripti sunt, et rosam solutam diviserunt ibique feliciter dixerunt. — Tab. IVNIAP. Lin. 19. Tab. EXTAIREOD. Lin. 20. Tab. DEPOPVIT. Lin. 21. Tab. CONVENERVM — — CAOERVNT. Lin. 23. Tab. VITTAS. Lin. 23. Tab. SACRIFLRO. Lin. 27. Cf. not. 59. Lin. 28. Sensus: cum publicis omnibus suis. Lin. 29. Tab. OSTEIS. Lin. 30. Cf. not. 61. Lin. 31. Tab. AEDLS — — EXCERVNT.

TABULA XLI, B.

In hac etiam tabula multo maioribus damnis laesa Marinii supplementis addidi nonnulla de meis. Minime quasi multum profecissem, sed ut paterent lecturis sollemnia universa. Margini eos, qui sunt apud Marinium, ascripsi numeros.

a [*ibi Catilium Severum ex Saturnalibus prim. in Saturnalia sec. mag. fec. et Armenium Peregri*]
*num f*LA*minem nominaverunt* . . . .
. . . . . .
. . VOAIE . . . .
. . . . *depositis*
PRAETE*xtis coenator. alb. sumser. et* INTETRA*stylo discubuerunt apud promag. in tricliniaribus mar*-
MORET *epulati sunt* . . . . TRANS*i*ER . . . .
. . . .
SPORTVLAS *acc*[*eper.*] *sing*[*uli*] *d*[*enar.*] . . . . *rosa s*OLV
TACCETP*artiti sunt* . . . .
SVM : · IETRIC[*iniatus*] . . . . MAEACILLEMR . .
. . . . *summoto supra carceres ascendit*

SIGNVMQVE *bigis quadrigis desul*TORIBVSMISITPRAESI
DE*ntibus* .... *Catilio*
SEVEROARMEN[*io*] *Peregr*[*ino*] ... LVCIXLO........VOVO
..... *vict*[*ores*] *palmis et cor. arg. honor*[*avit*]
DEINDEPERACTO *sacr*[*ificio*] ..... VSRO*mae* ....
ETINDOMV*m promag*[*istri*] ...... *ibi coenatoria*
ALBAACCEPERET *int*[*er*] *ep*[*ulas*] *ture*ETVINOFECER .....
.... *min*[*istrantibus*] *puer*[*is*]
PATRIMETMATR*imis senatorum filis* n̄ *IV iis qui* SVPRAET
SACRIF*icio facto coronas* ......
ACCEPETMANTEL*is* .... *frumenta con*TIGERET
SPORTVLASSING*uli acc*[*eperunt*] *d. C.* ...... *item*
MENSAMSECVN*dam bellariorum diviserunt e*TROSAMSOLV
TIMACCEPERV*nt ibique fel*[*iciter*] *dix*[*erunt*]
IIIKALIVNINDOMVM *Alfenii Avitiani promagistri* FRATRES
ARVALESADCONSVMMAND *sacr. deae Diae*
CONVENERINT*er coenam Alfenius Avitianus* PROMAG·FL·
ARCHELAVSFLAMSVLPICPO*llio* ......
ARMENPEREG .... *Flavius Alpinus d*ISCVMBEN
TESTORALIBVSSEGMENTAT*is t*[*ure*] *e. v*[*ino*] *fec.*
MINPVERPA*trimis et matrimis senat. filis* Q·S·ƒRVG·LIBAT·
CVMCALAT·ETPVBLADARAM *retul*[*erunt*]
DEINDE*LAMPadibus incensis canipas* CONTIGER·ETPERKA
LATORSVOSDOMI·MIS*e*RVNT *item*
MENSSECBEL*larior. divisa est et cor.* VNGETSPORTVLA
ACCSINGXC·HOCANNCENAT·EST *a sing*[*ulis*]
DIESSINGXC .... *item* PVERICENAVSENATOR
FIL·N̄IIIIETSPORTACCINDSINGXXV
ETFELICDIXER *p*RECATIOCOOPTATIONIS etc.

Sequuntur in eadem tabula cooptatio Elagabali, suscepta pr. Id. Iul. pro eius salute vota annua et ex insequenti anno piaculum ob illatum aedi ferrum.

Lin. 3. Pro coenatoriis legendum fortasse cum synthesibus, quod est T. XXIV. Col. 2, lin. 8: „cum sintes. epulati." Cf. Marini Obss. p. 278. Lin. 4. subsellia mar-

morea vide T. XLI, A. lin. 30. Lin. 17. Sensus: ministrantibus pueris --- filis, qui supra. — Tab. PRVG. Lin. 18. Tab. IAMP — Tab. MISFRVNT. Lin. 19 sq. mensa secunda bellariorum divisa est et coronas, unguenta et sportulas acceperunt singuli denarios centum. Hoc anno coenatum est a singulis dies singulos denariis centenis . . . . item pueri coenaverunt senatorum filii numero IV, et sportulas acceperunt in dies singulos denarios XXV, et feliciter dixerunt.

LOCI.	SOLLEMNIA DIEI SECUNDI.			
	Magister mane.	Promeridie sacrificium.	Cerimoniae.	Ludi post epulas.
Lucus. ara.	1. Mag. porculas. exta ad aram. 2. Mag. vaccam.	3. Fratres agnam opimam. Litatio. Ture et vino. 2. Fratrum pompa.	3, a. Thesauri ad aram. 5. Fruges ad aram et receptae.	
Aedes. mensa.		1. Fratres carnem et sanguinem porcularum.	1, a. Ollis fratres. 6. Fratres in aedem. Ollae per clivum. Fruges et panes per publicos. 7. Tripudium. 8. Designatio. 9. Epulae.	
Ante ostium.	4. Mag. in tabernaculum.		2. Stipes a populo. 4. Fruges petunt mag. et fl.	
Circus. focus.	3. Exta vaccae.		1, b. Ollis mag. et fl. 3, b. Ture et vino mag. et fl.	Bigae, quadrigae, desultores. Fratres Romam reversi. Epulae apud magistrum.

TYPIS CAROLI GEORGII.